I. C.

DE REBUS

Auſpiciis Sereniſſimi, & Potentiſſimi

CAROLI

DEI Gratiâ Magnæ Britanniæ,
Franciæ & Hiberniæ
REGIS, &c.

Sub imperio illuſtriſſimi

JACOBI Montis-roſarum
Marchionis, Comitis de
Kincardin, &c.

Supremi Scotiæ Gubernatoris Anno 1644. & duobus ſequentibus præclarè geſtis,

Commentarius.

Interprete A. S.

Editio tertia quàm antehàc locupletior & longè caſtigatior.

LONDINI,

Apud *Sam. Broun, & Joh. de l'Eſcluſe,*

Bibliop. 1662.

EX
BIBLIOTHECA
ACAD. GEORGIÆ
AUGUSTÆ.

Sereniſſimo, Potentiſſimoque

CAROLO

DEI gratiâ Scotorum, & Walliæ Principi, Duci Rotheſaiæ,

Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Hæredi, &c.

S.

PRonus, ac ſupplex, Sereniſſime Princeps, ad Te accedit Montisroſanus Tuus; haud totus, aut ſemis, nec dum

Tantilla tanti portio miraculi.

Qui, utut incultus, ac impolitus, & in habitu Romano barbarâ ſquallens rubigine; lucem tamen, hominumque conſpectum non formidabit: ſi illum eo favore digneris, & gratiâ, quâ hoſpites, advenaſque ſolitus es. Et hoc quidem meliore jure poſtulare videtur; qui non to-

tus peregrinus est: sed in Paterno Tuo Regno genuinus natus: nec nisi fatali temporum injuriâ, quasi expositus, in externo eductus & altus solo. Nec sanè desunt characteres, & notæ undique impressæ, quæ patriam, patremque demonstrent. Illam quidem Scotiam Tuam, centenis, novenisque è Majoribus Tuis regnatam: quorum omnium sanctissimus sanguis, animęque in Te spirant. Hunc verò antiquissimi ejusdem Regni alumnum, Patris Tui charissimi, ac clementissimi Domini sui, servum humillimum; & cultorem contra omnes fortunæ casus devotissimum.

Quæ si minùs sufficiant, ad conciliandam gratiæ Tuæ auram, quâ moribundo huic embryoni vitam, salutemque imper-

pertias : hoc ſaltem miſello præſtare, pro longè maximâ humanitate Tuâ, dignaris, me, rudi quamvis pencillo depicta prototypi lineamenta, ac quandam figuram agnoſcas : & vel eo nomine, vitam, ſi non & immortalitatem largire. Enimverò quis Alexandri, Ceſaris, Scipionis, aut avorum Tuorum Jacobi Pacifici, vel Henrici Magni imaginem, quæ unica extaret, ideo haberet vilem, quòd obſcuri cujuſdam, nec admodum periti artificis manu fuerit exarata? Non defuturum Montisroſano Apellem, non Leucippum, nec Homerum forſan ſuum auguror : interim Princeps Benigniſſime, hoc noſtro utere tantiſper, dum illi prodeant. Nec in ſermonis impolitiam, ſed in res verè Roma-

nas, utpotè nobiles, arduas, Heroicas, & quæ vulgares animas longiſſimè excedant, generoſum illum & excelſum animum Tuum intende. Si enim quos deprehenderis nævos, erroreſque, non genii ejus; ſed ingenii noſtri vitio (uti æquum bonumque eſt) imputaveris: equidem nec injucundum Tibi, nec inutilem fore Montisroſanum Tuum, fidenter ſpondeo.

Quid enim Principi, mortalium nulli poſt Patrem ſecundo, eo in loco nato, eo in ſtatu educato, eiſque ab incunabulis aſſueto, quæ nihil quàm Heroica omnia redoleant, jucundius ſit, quàm Heroa illum (abſit invidia) nemini hoc ſeculo poſthabendum, intueri, amplexari, obſervare,

Quem ſeſe ore ferens, quàm forti pectore & armis?

Qui

Qui optimi Regum, clementiſſimi Patris Tui auſpiciis militans, & virtuti tuæ, quæ tam ſtrenuè adoleſcit, quaſi præludens; ea geſſit, quę prę ſens quidem admiratur ętas, grata verò poſteritas nunquam conticeſcet. Utut enim gloriam conſequatur invidia; ejuſque quaſi veſtigia premat: caduca tamen cum ſit, & mortalis, ſtabilem illam, ac immortalem nec aſſequetur unquam, nec obfuſcabit.

Nullum interim Tibi hîc, Sereniſſime Princeps, exhibemus

Antiphaten Scyllamque, & cum Cyclope Charybdin;

monſtra nulla, aut ſpecioſa miracula: monſtris tamen ſimillimos hoſtes, & miraculis partas de illis victorias. Quid enim de Gigantum arrogantiâ, fabulata eſt Græcia mendax, quod con-

jurati isti terræ filii, adversùs Deum, pietatem, fidem, jus, & æquum in Augustissimis Parentibus Tuis, Teipso, Tuisque omnibus non sunt ausi? qui congestis mendaciorum, & calumniarum montibus, ea exstruxerunt propugnacula, unde immanissimis viribus in Deos depugnavêre. Quid porro ab Apolline, Pallade, aut Marte in debellandis illis gestum fingitur, quod noster hic, non pari susscepit virtute, & fortunâ perfecit? Si verò de perdomitis tandem, non prorsus triumpharit, fatis Tuis omnino reputandum arbitramur; quæ noluerint Patriæ genium tam insignem salutem alteri, quàm Tibi ipsi debere: Enceladum quippe Titanasque alios, qui Patrem in vinculis detinerent;

non

non alio quàm filii fulmine, Ætneos in ſpecus deturbandos eſſe cenſuerunt.

Maxime inſuper Princeps, quid utilius Tibi ad ea tendenti, ad quæ Divino Humanoque jure obſtringeris; Patris, videlicet, Patriæque ab immani tyrannide vindicationem: quàm eum quaſi prodromum, & viæ ducem in oculis ſemper habere, qui & primus arcana perduellium conſilia, arteſque, & inſidias detexit, & unus fermè infandam perdomari audaciam; & coalitas priùs quàm cognitas vires, infringi poſſe demonſtravit? Neutiquam enim in eo deprehendes *corpus ſinè Pectore*, qui, cum ne armis quidem ſit, quàm conſilio præſtantior, monſtrum illud in cunis jugulandum ſuaſit (utinam & per-

ſuaſiſſet) & adultum, tantùm non contrivit, ne virtuti tuę materies tam ampla præcideretur. Enimvero præter inſignem in eo fortitudinem, & rei militaris peritiam non vulgarem, invenies civilis quoque prudentiæ documenta, quamvis triſti temporum fato parùm credita; eximia tamen, & Tibi, poſteriſque olim profutura: dum perduelles, nimiâ optimi Regis manſuetudine, clementiâ in reos, in indignos fiduciâ, munificentiâ in ingratos, indulgentiâ in omnes, magis quàm ſuis viribus fretos, maturè occupandos, & juſtis armis (quando aliter fieri nequiret) compeſcendos cenſuit; priùs quàm vires, ex permiſsâ illis morâ, immodicè valeſcerent. Quod ſi factum fuiſſet, (ut alia taceam) non civili adeo ſanguine

guine horruiſſet Britannia noſtra, non tamimpiè, tam fędè habita fuiſſent magnificentiſſima Domini noſtri templa, non Procerum Myſtarumque cruore maduiſſent fora, non detenti, indignâ ſub cuſtodiâ Pater Fratreſque, nec, quaſi vidua Mater, Tuque ipſe extorris, in cognata quamvis ac hoſpitali, transmarina tamen degeretis terra.

Quis talia fando,
temperet à lachrimis?

Cum autem in rebus geſtis, etiam ſupra invidiam claris, Omnipotentis Dei dextera ſplendidiſſimè eluceat; ut ad illum unum ſolida ac omnis referatur gloria: quis eum etiam non agnoſcat, ornet, prædicet, & amet, quem operum ejuſmodi patratorem, ac quaſi thaumaturgum, clementiſſimus Domi-

nus conſtituere ſit dignatus? Si enim cum ſolis, & apertis hoſtibus Montisroſano fuiſſet confligendum, levioraforſan videri poſſent illa: quòd duobus ſemper, plerùmque verò tribus exercitibus à fronte, à tergo, à latere impetitus: quorum vel minimus copias ejus omnes, militum numero, armorum genere, & copiâ commeatuum quàm longiſſimè excedebat; ſeſe fortiter ſemper, ac feliciter expediverit. Quòd pulvis tormentarius, arma, aliaque inſtrumenta belli, nulla unquam ſubminiſtrata fuerint, præter ea, quæ devictis hoſtibus eripuit. Quòd anni ſpatio ſex inſignes, ac plenas reportaverit victorias: omnique Scotiâ conjuratos Proceres penitùs exegerit. Quòd hiemem rigidiſſimo cælo ſoloque

que non in tabernis, ac ne ſub pellibus quidem; ſed plerumque ſub die egerit. Quòd frigidâ, ac de fluente ſæpiùs ex liquente nive, ſitim jugiter depulerit: nec ullo pane, aut ſale; ſed ſolâ bubulâ, atque eâ non rarò macidâ ſimul ac macilentâ toleraverit famem, & alia belli incommoda. Verùm longè difficilior illi lucta fuit, cum eis qui videri volebant Regiæ Majeſtatis accerrimi vindices. Aliorum quidem ſegnignaviâ, inſolenti aliorum ſuperbiâ, aliorum vili puſillanimitate, fædâ aliorum avaritiâ, aliorum infandâ perfidiâ: quibus omnibus tolerandis, ac corrigendis, niſi invicta prorſus conſtantia, & chariſſimi Regis indomitus amor, nunquam ſuffeciſſet.

Non enim ille ſeveritate le-

gum, aut pœnis (quod alii Imperatores aſſolent) ſuos coërcere, aut potuit, aut debuit; qui nullis ſtipendiis, ſed ſolâ charitate in Regem, & in eum benevolentiâ militabant: quibuſque facillimum ſemper ad conjuratos fuerit transfugium, ſi vel leviſſimâ laceſſiti injuriâ, aut ignominiâ notati ſibi ipſis viſi fuiſſent: viri plerique procaces, factioſi, & ad defectionem proni, ſi vel tantillùm fuiſſent irritati. Adeo ut in exercitu illo authoritatem cum gratiâ conſervare, res fuerit omnium difficillima. Neque aliud ejus animum violentiùs exercuit, quàm conſilia, actioneſque ſuas aliorum modulo metiri, aut hoc ſaltem ſimulare cogeretur. Verùm ille ut rem Regiam promoveret, hoſtium odium, æmulorum in-

invidiam, aulicorum calumnias, amicorũ querelas, vulgi contumelias, & (quod omnibus acerbius fuit, ac ſuperſtitioſę plebis animos magis perterruit) vatum prorſus furentium, diras, atque anathemata ſuſq; deque ferens, quaſi ab alto deſpexit: omnino ille nobiliore militia, & feliciore ſeculo dignus Imperator.

Quod denique, Princeps Sereniſſime, è re tuâ maximè futurum ſpero, demonſtrabit hic Tuus Montisroſanus Scotos nunquam omnes ab optimo deficiſſe Regè. Quod cum nominis noſtri iniquiſſimi hoſtes, acerbè nimis, & malitioſè calumniantur, non magis immerentibus viris, & Regis ſui causâ omnia volentibus injurii; quàm Patri, Tibique inſidioſi & infidi. Hocque unum agunt,

ut

ut ſuſpectos vobis, adeoque inutiles reddant amicos, ſervos, ſubditoſque omnium optimos, ac fidiſſimos; à quorum fide & fortitudine malè ſibi metuunt, ne eorum ope, & operâ, ipſi peſſimi conſiliarii aliquando dignas proditionis luant pœnas. Ne verò quis obſtrepat, nos malè de nobiliſſima Anglorum gente ſentire, aut dicere (à quo ſanè ſcelere toto abhorremus animo) eorum quidem plurimos fidelem fortemque operam navaſſe Regi, ad æternam ſuam gloriam, ultrò agnoſcimus, prædicamus, & gratulamur. Hocque unum poſtulamus, ut æquo jure nobiſcum, & candore non minùs ingenuo agant, nec factionis cujuſvis, quantumvis potentis, ac validæ crimen univerſæ impingant genti:

genti: quod cum ſibi fieri nolint, aliis ne fecerint. Neque diſſiteantur fuiſſe Scotos, omnium ordinum viros præſtantiſſimos; qui perditiſſimis temporibus, Regiam Majeſtatem ab hominum utriuſque gentis peſſimorum conſpiratione, vel ſanguine ſuo aſſertam & vindicatam voluerint.

Atque hæc uſque adeo manifeſta ſunt, ut abſque omni jactatione fidenter poſſint prædicare, ſe, nullis conductos ſtipendiis, nullâ mercede aliâ, quàm in clementiſſimum Regem fide, & pietate impulſos, damna longè graviora, pro rerum ſuarum ratione, paſſos eſſe, ac perduellibus retuliſſe, & nobiliores de eis acquiſiviſſe victorias; quàm illi, qui exhauſto penitùs Regis ærario, ad tan-

tantam fermè rerũ omnium inopiam redegerent, ut ſeſe conjuratis quaſi dedere coactus fuerit. Heu, quantò, ut videtur, ſatiùs fuiſſet, ſi ad Scotos ſuos ſe recepiſſet; nõ rebelles iſtos, qui contra eũ pro conjuratis Anglis ſtabant: ſed pios illos, fortes, & fidos, qui ſub Montisroſani imperio illi militabant. Omnino his, qui cũ vicario ejus, & militię præfecto, ea & fortiter auſi, & feliciter exſequuti ſunt, quæ ſummâ fide, hocce commentario deſcripſimus: nihil arduum, aut difficile videri potuiſſet, tam chari pignoris preſentia animatis. Nec quiſquam, niſi rerum Scoticarũ ignarus, dubitaverit preſentem illum civium animos ad ſententiam ſuam facillimè fuiſſe pertracturum; ſponte videlicet in optimi Regis gratiam pro-

propendentiũ. Et hoc cũ probè notum eſſet conjuratis proceribus, ſedulò caverunt ne illi in ſolũ natale reditus pateret: cũ vix 40 paſſ. millib. abeſſet à limite.

Et Scoti quidem, utut eo potiſsimùm tempore, duriſsimo ſervitutis jugo tyrannis iſtis ſubjecti; horrendis tamen diris eos proſequi nõ metuebant, qui pudendi iſtius conſilii, de radendo Anglis Scotorum Rege, authores forent vel participes. Atque illi etiam, qui hac tenus cũ fæderatis in aliis ſenſerant, non obſcurè, quamvis cũ capitis periculo prædicabant; Suffeciſſe deceſſoribus Regis unicũ Scotiæ Regnum, ſuffeciſſe majores ſuos eis tutandis, ac propugnandis contra potentiſsimos & ferociſsimos hoſtes: Anglos præſertim, de quibus, dũ pro Regibus ſuis

ſuis ſtarent, multos & inſignes egerint triumphos. Et quamvis cum diverſis, tam externis, quàm ejuſdem inſulæ incolis, vario ſæpè Marte dimicaſſent; nunquam tamen eò redigi potuiſſe, ut Reges ſuos aliorum arbitrio & poteſtati permitterent ingratiis. Id verò ne ſponte jam facerent, majorum umbras, ſanctiſsimam Regii nominis reverentiam, fidem, pietatem, famam apud exteros, ad poſteros exemplum, jus omne divinum ac humanum obſtare. Hoc denique quàm apertiſsimè cum ipſo ſuo fœdere pugnare, quo Deum immortalem teſtem vindicemque invocarunt; ſe Regem, ejuſque dignitatem, amplitudinem, ac ſalutem, contra omnes mortales, ad extremum vitæ ſpiritum pro-

propugnaturos. Adeò ut (præter ſeditioſos, & ſacrilegos iſtos, qui & malis artibus exercitum comparaverant, & in eundem ſummum obtinuerant imperium; ejuſque armis, inermium, & imparatorum, ſinè duce, ſinè capite, civium cervicibus, & jugulis imminebant) plerique omnes Scoti nihil magis habuerint in votis, quàm ut aliquando Regi optimo fidem ſuam, ac obſequium teſtatum facerent, & vel ſanguine ſuo obſignarent. Nec ſanè ambigendum eſt, quin illi immaniſſimâ tyrannide oppreſsi, ad juſtiſsimum & mitiſsimum redeant imperium, ubi primùm optatiſsimâ Paterni, aut Tui vultus præſentiâ, quaſi ſalutari ſidere fuerint afflati.

Tuum ergo eſt, Princeps No-

Nobiliſſime ac potentiſſime, in hoc omnes nervos, omnem animi impetum intendere, ut laboranti Patriæ Patrique ſuccurras. Opem ad hoc operamque Tuam, omnes ſeriò flagitant, orant, expectant: ſuam pollicentur. Provincia hæc jure naturæ, & Patrio Tua eſt: & in te non civium modò, ſed & orbis ora, oculique intenti ſunt; piique omnes precantur, ut cum bono Deo, & fauſtis ominibus, hoc reſtituendæ Eccleſiæ, quæ tot fœdiſſimarum ſectarum ſordibus inquinata jacet, ſtabiliendi denuò Paterni Regni, recuperandæ priſtinæ felicitatis, & gloriæ opus ſtrenuè aggreſſus; ad optatum pacis ordiniſque finem feliciter perducas. Atque ut olim (ſed ſerò) unum illud Europæ antiquiſ-

quiſſimum Regnum, Te dominum ac Imperatorem agnoſcat, amet & veneretur : æternùmque ea felicitas obtingat ſoboli Tuæ

Et natis natorum, & qui naſcentur ab illis.

Quo fine, Princeps Clementiſſime, dignare Montisroſanum Tuum erigere, amplecti, fovere; eoque uti, ſeu in bello duce, ſeu ſenatore in pace, tanto Principi (ut ſpero, & voveo) nunquam erubeſcendo.

Vale. die 7 Febr. 1648.

LEC-

LECTORI BENEVOLO S.

PAucula sunt, amice lector, quæ commentariolum hunc lecturos ignorare nolim: quorum alia quidem ad Montisrosarum Marchionem, cujus res in Patria biennio gestæ, hîc describuntur; alia vero ad operis authorem pertinent. Ac inprimis quidem constare velim illum antiquissimæ ac celebratissimæ in Scotiâ Gremorum familiæ Principem esse; & priscâ Scotorum linguâ Græmum magnum nuncupari. Originem generis ducit à celeberrimo illo in ejus Regni Historiis Græmo, Fergusii ejus nominis secundi, Scotorum Regis socero; qui primus generi sui auspiciis, vallum illud Severi, ab æstuario Forthæ, ad Glottæ amnis ostium, quâ parte angustissima est Britannia, productum, & ultimum Romani imperii limitem expugnavit, & evertit: Provinciamque Romanam arctioribus concluſit terminis; unde factum est, ut non obscura ejusdem valli vestigia quæ etiamnum extant, apud accolas, ejus nomen in hunc diem retineant, qui Græmi murum vocitant. Idem verò nobilissimæ gentis conditor, defuncto genero Fergusio superstes, Administrator Regni, & Nepoti suo Gubernator datus, pacis non minùs quàm belli artibus clarus; cum Christianæ fidei Doctores, recenti bello extorres, postliminio reduxisset in patriam; nec minùs Ecclesiam quàm Regnum optimis ordinasset legibus, adulto Nepoti regimen sponte tradidit.

Floruit

Floruit ille Augustorum Arcadii & Honorii temporibus, an. salutis humanæ circiter CCCC; à quo longâ serie, & lætâ, seri descendêre nepotes, qui avitam referentes virtutem, subsequutis seculis præluxerunt. In his enituit fortissimus Græmus; qui cum Dumbaro, tempestivum admodùm auxilium, periclitanti attulit Patriæ adversùs Danos; rerum in Anglia tunc temporis potitos, inque Scotiam cum validissimis copiis non semel frustra invectos. Majorum deinde omnium virtutes, laudesque æquavit nobilissimus Iohannes Græmus, qui post Alexandri tertii mortem, interregni tempore, Brussio Bailioloque de jure discrepantibus; Patriæ libertatis, cum inclyto illo Wilielmo Walla Prorege, contra Edwardi Regis Angli iniquissimam tyrannidem, accerrimus fuit vindex; & post plurima præclarè gesta, pro eâdem strenuè pugnans, honestissimo functus est fato. Visitur etiam hodie sepulchrum ejus in sacello, quod fanum valli, ab eodem Græmi vallo (ad quod positum est) dicitur. Ad quod etiam, agros sanè amplos, & uberes, à primo illo Græmo, nepotibus quasi per manus transmissos; jure hæreditario Montisrosarum Marchio possidet.

Verùm ne ab obscuris modò tantæ antiquitatis vestigiis, illustrissimo Heroi nobilitatem generis aucupari, ac astruere videamur; præterire nequeo, avum hujus Montisrosarum Comitem nostrâ fermè memoriâ, amplissimis in illo Regno honoribus ornatum, ac felicissimè functum esse. Qui, cum

ſupremus eſſet Scotiæ Cancellarius, quo tempore beatæ memoriæ Rex Iacobus, ejus nominis ſextus, rerum in Angliâ potitus eſt; ab eodem in Scotia creatus eſt Prorex: & in ſupremo illo dignitatis gradu, Regi juxta, ac populo chariſſimus, è vivis exceſſit. Patrem verò habuit corporis, animique dotibus virum in paucis inſignem; nec minùs apud alias gentes, quàm domi illuſtrem: qui cum plurimas, eaſque bonorificentiſſimas legationes pro Iacobo Rege obiiſſet, ſupremi Conſilii Præſes à Carolo renunciatus, præmaturo fato Patriæ, boniſque omnibus ereptus, maximum ſui apud omnes deſiderium reliquit. Et quid tandem de ipſo nepote cenſendum, ſperandumque ſit; ex eis quæ hactenùs geſſit, cum nunc quoque ſeſquianno poſt, vixdum trigeſimum & ſextum ætatis annum attigerit, judicio tuo permitto.

Vnum hoc in gratiam tuam addam, benigne lector; tres hactenùs fuiſſe Scotorum Regno fatales fermè periodos: primam à Romanis, quorum jugum, Græmi illius primi ex nobiliſſima Brittonum Fulgentiana familia oriundi ductu, repulerunt Majores noſtri. Alteram à Danis, quorum ne admitterent imperium, ſecundi illius Græmi præſertim eximiæ debetur virtuti. Tertiam ab Anglis, & Nortmannis, quos tertius ille Græmus ſemel iterumque Scotiâ exegit; ac multis & gravibus affecit damnis. Adeo ut quod de Scipionibus in Africa olim dictum fuit) fatale quaſi videatur Græmorum nomen, quod Patriæ, in ultimo diſ-

crimine

crimine positæ succurrat: nec sinè numine pessimis istis temporibus, exortum hunc, qui Regi suum jus, civibus pacem, salutemque, & libertatem pristinam, familiæ verò suæ avitam laudem ac decus conservatum iret. Atque hæc fermè ea sunt quæ de Montisrosano præmittenda paucis censui.

Quod verò ad scriptorem attinet, sic habe: eum in hujusmodi studiis non admodùm versatum, nec laudem ab ingenii viribus speravisse; quas nullas planè esse, vel exiguas, lubens agnoscit: nec mercedem spectasse, aut quæstum; qui accerrimi sunt multis ad scribendum stimuli. Verùm solo propagandæ, ad posteros, exterosque veritatis desiderio, opusculo huic admovisse manum. Enimverò felici sceleri plurimos; afflictæ veritati perpaucos fore patronos; ex cognata huic causa, recenti, & lachrimabili experientiâ perdidicerat. Cum enim iidem in utroque Regno conjurati, suis artibus (mendaciis nimirùm & calumniis) Ecclesiam evertissent; ut ex ejus reditibus, maximo sacrilegio partis, avaritæ suæ litarent, posterosque diro locupletarent anathemate: non defuêre tamen qui immensis eos laudibus, tanquam de patria, de Ecclesia ipsa, adeoque universo genere humano benè meritos extollerent, & sanctissimos Dei servos, Confessores Martyresque, quòd illis constanter restiterint, maledictis, & blasphemiis onerarent ac proscinderent. Dubitandum itaque minimè arbitratus est, quin hi qui eisdem artibus Regiam convellere Majestatem, ac destruere satagunt, ut

ejus potiantur honoribus, cum Majestatis & perfidiæ crimine acquisitis; invenirent quàmplurimos, qui simili maledicendi libidine, in excellentissimum virum, & splendissima ejus gesta debaccharentur: &, quod de vespis dicitur, ex fragrantissimis & saluberrimis herbis, succos, suâ linguâ, aut stilo venenatos colligerent, ac incautis, & ignorantibus propinarent. Huic malo, brevem hanc simplicemque narratiunculam, tanquam tempestivum antidotum, sinceræ veritatis amatoribus offerre libuit; cujus tam pertinax voluit esse assertor, ut, quamvis hominum odium, invidiamque non levem in se derivaturum prævideret: nec illis serviliter adblandiri, nec eam obscuris & dubiis verborum ambagibus involvere decreverit. Ille enim, ut liber natus est, liberque educatus; libertatem non nisi cum anima perdere constituit. Quamvis autem aliam boni Historici laudem, ab ingenio, vel arte, vel eloquentia, nullam ambiat: unam tamen illam simplicissimæ veritatis, jure suo postulare videtur; qui propagandæ illi propugnandæque, charissima hujus seculi posthabuit: ter bonis omnibus exutus, toties carcerem fœdissimum ac squallidissimum passus, tertiò eodem nomine exulat. Hilaris tamen est, ac lætus, quòd nullius apud homines criminis reus, dignus habeatur à Domino, qui ista patiatur justitiæ, & viritatis ergo. Tu verò candide lector veritatem saltem in eo ama; cætera æqui bonique consule, ac vale.

DE REBUS

Anno cIↃ IↃ c XLIV, & duobus ſequentibus ab illuſtriſſimo

IACOBO

Marchione

MONTISROSARUM

in

SCOTIA

GESTIS.

Commentarius.

CAP. I.

IAcobus Montisroſarum Marchio, fœderatorum in Scotia partes, hactenùs amplexus; nimis ſtrenuam illis, & infeliciter felicem operam navaverat. Nihil enim illi, quàm religionem, regis honorem, & dignitatem, leges patrias, libertatemque antiquiſſimi regni, à potentiſſimis hoſtibus Romanis, Saxonibus, Danis,

nis, Nortmannis, majorum ſudore, ſanguine, virtute & vitâ, fortiter, & feliciter ſemper vindicatam, ſpecioſe admodùm obtendebant. Et quas ipſi finxerant fabulas, ad populum per idoneos miniſtros deferebant. Quaſi nihil aliud in aula Anglicana ageretur, quam ut libera gens, velut in provinciam redacta, veterum inimicorum imperio manciparetur. Interim etiam publicis atteſtationibus, & ſolenni juramento, ſeſe obſtrinxerant; non vi & armis; aut alio quovis modo, quam per libellos ſupplices, apud dominum Regem procuraturos, ut humillimis ſubditorum ſuorum ſupplicationibus clementer annueret, & authoritate ſuâ caveret, ne chariſſima patria in religione, aut libertate aliquid detrimenti caperet.

Verùm Aº. demum 1639, Montisroſanus comperit præclara illa ad imperiti ſimul, & ſuperſtitioſi vulgi animos ineſcandos, & à rege (tanquam religionis, & libertatis hoſte) alienandos præparata. Nec enim apud illum diſſimulabant fœderati, nimis diu apud Scotos regnatum eſſe à monarchis: nec rectè cum illis agi poſſe, Stuarto vel uno ſuperſtite (cognomen illud eſt regiæ in Scotia familiæ in eorum verò exſtirpatione, ordiendum

dum esse) à Principe: adeoque regem ipsum, regiamque Majestatem peti sensit. Quapropter horrendum scelus vehementer detestatus, fœderatorum partes constituit deserere, consilia frustrari, opes imminuere, vires labefactare, & regem regiamque authoritatem sartam tectam pro viribus conservare. Quia verò fœderati, quà vi, quà dolo, universos fermè subditos ad se pertraxerant; seque unum eorum potentiæ coërcendæ imparem judicabat: consilium suum non statim & temerè propolandum existimavit. Pleroſque enim inter eos habebat amicos, viros tam satellitum, & clientium multitudine, quàm authoritate & opibus florentes, quos ab eis separare, & secum ad partes regias revocare decrevit. Et hac arte non aspernandam manum contrahere, tam Regis, quàm suæ saluti meliùs consultum fore duxit.

Intereà fœderati validum exercitum contra Regem comparant. Et ad Duns oppidum, in solenni conventu, absente Montisroſano, invadendam armis Angliam decernunt. Quod quidem ante sex hebdomadas, in secreto suo conciliabulo conjurationis principes statuerant: adeoque libellis plurimis apologeticis (quibus expeditionis suæ causas declara-

re laborabant) per omnem Britanniam divulgari curaverant. Hoc eorum consilium, reversus Montisrosanus, cum impedire non posset, videri voluit probare. Ducebat Montisrosanus in exercitu, peditum duo millia, equites quingentos: quinque verò millibus imperitabant amici, illi devinctissimi, & qui in hoc negotio operam suam pro Rege sanctè promiserant. Et sanè si plerique eorum non fefellissent fidem, vel omnem exercitum ad Regem secum perduxissent: vel saltem fœderatorum conatus facilè reddidissent irritos. Positis porro castris ad Tuedam amnem (qui finitimorum regnorum limes est) sorte inter duces procereſque jactâ, Montisrosano obtigit ut primus fluvium trajiceret. Quod quidem ipse pedes, sequentibus copiis suis pedestribus, alacriter perfecit: quo facilius consilium suum occultaret, omnemque suspicionem amoliretur. Æquè enim hominis in exercitu potentia, & liberalis animi integritas, malè sibi conscii perduellibus, formidabilis esse incipiebat: adeo ut omnes ejus gestus, dicta, & facta diligentissimè observarent.

Post hæc superato Tinâ amne, quatuor M. passuum supra Novum castrum, proditione ducum anglicorum, qui se cum validissimo

lidiſſimo exercitu regio Eboracum receperunt, oppido potiuntur. Miſſis verò hinc inde arbitris qui de pace agerent, induciæ ſequutæ ſunt. Dederat ad Regem Montisroſanus, induciarum tempore literas, quibus fidem, debitum obſequium, & pronam voluntatem, ſereniſſimæ Majeſtati teſtatus erat: nec aliud quidquam continebant. Iſtas per ipſos Regis cubicularios noctu ſuffuratas, & tranſcriptas qui gratiâ apud Regem cæteris mortalibus præſtabant, ad fœderatos Novum caſtrum tranſmittendas curarunt. Illi etenim, de die in diem maximè arcana Regis conſilia (quorum ipſi ſoli vel authores fuerant vel participes) fœderatis communicabant. Super iſtis literis Montisroſanum ſatis acerbè interrogare non erubuerunt perduellium quidam promptiſſimi. Et quamvis apertam litem intendere, aut in jus vocare non auderent; quia gratiâ & potentiâ in exercitu plurimum valebat: querelis tamen, & calumniis apud vulgus onerabant. Pleroſque enim habebant, per univerſum regnum obnoxios ſibi prædicatores; quorum venalibus linguis ad populi animos quoquò verſum flectendos abutebantur. Nec aliâ re rebellionem ſuam efficaciùs promoverunt, aut etiamnum promovent,

quam quod popularibus concionibus, boni illi oratores regem ipſum omneſque fidos ſubditos tanquam Chriſti hoſtes (ut illi loqui amant) acerbiſſimè proſcindant; ipſi Chriſtiani nominis ſcandala, & opprobria.

Montisroſano verò in Scotiam reverſo, & nihil animo verſanti; quàm quo tandem pacto regiam Majeſtatem ab imminente rebellionis procellâ vindicaret; hanc rationem inire viſum eſt. Primariæ potentiæ, & nobilitaris plurimos icto fœdere ſibi adſtrinxit. Quo ſanctè pollicitiſunt ſe regem ipſum, & omnia regiæ Majeſtatis privilegia, & prærogativas avitas & legitimas, cum bonorum omnium, & vitæ diſcrimine, contra quosvis tam domeſticos, quam extraneos hoſtes ad ultimum vitæ ſpiritum propugnaturos. Et ſanè eò ventum erat, ut in apertam ſeceſſionem res fuerit evaſura, adeoque optatum conſequuutura finem; niſi quidam metu, levitate, & puſillanimitate (qui ſunt peſſimi arcanorum cuſtodes) rem totam fœderatis prodidiſſent. Hinc tumultus non exigui, & jurgia; ſed pro tempore pacata. Neque enim adhuc, durius quid in Montisroſanum palam decernere audebant. Poſteà verò fœderati, novo præſtito ſacramento, exercitum ad obſe-

obſequium ſuum confirmarunt. & arctiſſimo fœdere, adjuncto ſibi Parliamento Anglicano, quamvis à privati cujuſvis machinationibus ſatis ſecuri ſibi viderentur; de Montisroſano tamen tollendo ſeriò conſultant: cujus erectum ad alta, & honeſta, quantumvis ardua, animum non poterant ferre.

Ad muniendam ergò tanto facinori viam, operâ quorundam Aulicorum, quos ſpe & largitionibus corruperant, datas à rege ad Montisroſanum literas intelligunt: eaſque tabellarii (Stuarti cujuſdam, Trequarij comitis clientis) ephippio inſutas eſſe. Tabellarium vixdùm Scotiæ limites ingreſſum prehendunt, ephippium dirumpunt, literaſque inveniunt. Nihil planè in illis ſcriptum erat, quod optimum Regem jubere, optimum ſubditum exſequi dedeceat. Optimi tamen illi calumniarum architecti, per idoneos miniſtros rumores ſpargunt planè tragicos; deprehenſa tandem, & detecta regis cum Montisroſano conſilia, de evertendâ religione, & perdendâ patriâ. Ac ne tùm quidem palàm in hominem animadvertere auſi, incautum, & nihil tale ſuſpicantem, cum Naperio Marchiſtoniæ regulo & Sterlinio de Kêêre equite quibuſcum non affinitate tantùm, ſed

& intimâ familiaritate & amicitiâ junctus erat) in arcem Edinburgenſem conjiciunt.

Pace tandem inter utriuſque regni populos ſtabilitâ, (inter quos nullum interceſſerat bellum, præterquam quod in clementiſſimum dominum, & juſtiſſimum Regem, communibus auſpiciis meditabantur) conventus ordinum Edinburgum indictus eſt. Iſti Rex ipſe interfuit. Montisroſanus coram rege, & ſolenni hoc conventu cauſam dicere, omnibus votis, ſed fruſtrà deſideravit. Fæderati enim ejus innocentiæ, & ſuæ injuſtitiæ ſibi conſcii, in hoc unum animos intendebant, ut hominem in vinculis detinerent inauditum, quoad Rex Scotiâ excederet, & illi in conventu omnia ex animi ſui ſententiâ tranſigerent cum rege. Et ſanè multùm metuebant ne prudentiâ, fortitudine, & gratiâ quâ tam apud æquales regni Proceres quàm plebem valebat longè plurimos ad ſententiam ſuam pro incolumitate & authoritate Regis conſervandâ perduceret. Rege tandem in Angliam reverſo, Montisroſanus cum ſuis è carcere liberatus, quia in conventu ſtatutum erat ne in colloquium cum Rege veniret, pauliſper domi ſuæ conſedit: ſub finem Anni 1641.

CAP. II.

CAP. II.

ANno 1642 Fæderati utriuſque regni larvam deponere, & apertiùs rem gerere cæperunt. Perduelles in Anglia querelis injuſtis, ineptis, importunis Regem fatigare, calumniis onerare, ſcurrilibus cantiunculis ſacrum nomen prophanare, infamibus libellis (quos Pasquillos vocant) vilem facere, tumultus ciêre, perditiſſimos quoſque de infima plebe armatos, magno numero in ipſum palatium immittere, extrema cuncta minitari. In quos cum ille jure regio animadvertere potuiſſet, rem tamen potiùs ad Parliamentum deferre, ſatiùs judicavit: quo eos ſibi devinctiores redderet. Sed fruſtra hoc, & alia pleraque viris ingratiſſimis, ac horum ſcelerum authoribus, & patronis gratificatus eſt Rex clementiſſimus. Longè enim plura illis & majora in civium ſuorum gratiam, & (quod ab illis prætendebatur) levamen, & ſecuritatem indulſerat, quam in univerſum omnes majores ſui reges Angliæ, poſtquam Gulielmus Nortmannus primus rerum in Anglia potitus eſt. Tandem ergò ut ſe, ſuoſque præſenti periculo ſubduceret, Londino cedere invitus cogitur. Reginam quidem, ut vitæ ejus conſuleret

in Belgicam ablegat; ipſe Eboracum ſe confert. Parliamentorum verò ordines (ut cum illis loquar) illicò, & primi quidem ad arma convolant. Et iiſdem copiis quas rex (aſſignatis ex eorum ſententiâ ducibus) in Hiberniam deſtinaverat, quæque in procinctu erant, ad Regem ipſum opprimendum abutuntur.

Perduelles in Scotia, qui Regi ſatis virium eſſe ad coërcendos Anglos probè noverant, fœderatis ſuis in manifeſto diſcrimine poſitis deeſſe minimè voluerunt.

Et quamvis Rex clementiſſimus in conventu Edinburgeno, de quo dictum eſt ſupra, exvoto illis prorſus ſatisfeceſſet: (quod in acta publica ab eis relatum eſt) ad bellum tamen illi in Anglia inferendum ſeſe comparant.

Quo verò res ſuas domi in tuto collocarent, Montisroſanum (à quo fermè uno ſibi metuebant) ad ſuas partes denuò pertrahere, ſumma ope nituntur. Supremi in exercitu Legati munus, & quæcunque alia, quæ ſuæ forent poteſtatis, deſideraret ultro deferentes. Ille longè maximam procellam Regis capiti imminentem conſpicatus, ut cum certiorem faceret; quo maturiùs occurri poſſet; junctò, conſilii & itineris participe,

Ogil-

Ogilvio regulo, iter in Angliam capeſſit.

Apud Novum caſtrum nuncium accipit, Reginam nuper ex Batavia reducem Berlingtoniam in agro Eboracenſi appuliſſe. Illùc ſe properè confert: & Reginæ omnia ordine recenſet. Illa mari vehementer jactata, & nauticis moleſtiis ægra, reſpondit; pluribus de eo negotio cum illo conſulturam poſtquam Eboracum venerint. Eò ubi ventum eſt, Regina Montisroſanum ultrò appellat. Ille rem totam denuò explicat, & non minus periculum à fœderatis Scotis, quam ab Anglis imminere demonſtrat: niſi maturè obviam eatur. Rogatus verò ſententiam, quid potiſſimùm faciendum arbitraretur? vim vi repellendam dixit. Non regi deeſſe in Scotiâ ſubditos, viros fidos & fortes; non deeſſe illis animos, non opes, non vires, quas fœderatis opponerent, ſi quidquam contra Regem auderent moliri: unicum illis deeſſe Regis mandatum; ſine quo nihil attentaturos, illo verò animatos, nihil non auſuros. Periculum eſſe, tantùm in morâ. Fœderatos, ubi exercitum comparaverint, cæteros, ſi quis vel hiſcere audeat, facile contrituros. Principiis tanti mali obſtandum, viperam in ovo conterendam, & ſeram

medicinam ubi in totum corpus prævaluerit morbus.

Consilium salubre, & tempestivum; quod procul dubio prudentissima Regina probasset. Verùm sic secundo vento velificantibus, ecce remoram ab adventu Hamiltonii ducis è Scotiâ: specie quidem ut Reginam salutaret, & sospiti felicem reditum gratularetur; reipsa verò ut Montisrosani consilia destrueret. Conscîis enim, & consentientibus federatis, illuc advolaverat. Nec ille quidem periculum à fœderatis Scotis dissimulavit; extenuare tamen conatus est. Montisrosani verò consilium, ut temerarium, imprudens, & intempestivum damnavit. Gentem ferocem, & bellicosam non vi & armis; sed lenitate & officiis reducendam. Bellum, præsertim civile ultimum, & victori plerumque pœnitendum remedium. Incertam belli aleam. Regi etiam victori, tristem fore de civibus suis triumphum: victo verò, expectanda quæ dicere abhorreret animus. Omnia ad pacem, cum istâ gente conservandam experienda. Necdum eò ventum esse, ut de pace, & conciliandis eorum animis desperandum sit. Totum denique negotium in se suscipere, si Rex ejus fidei & industriæ rem cum vicariâ potestate committeret.

teret. Regerebat Montisroſanus, nihil aliud agi, quam ut tempus traheretur, quoad perduelles coacto exercitu Regi facultatem omnem ſe, ſuoſque ab eorum tyrannide vindicandi preriperent. Quod quidem verum fuiſſe, meſtiſſimus probavit eventus. Succubuit in hoc certamine Montisroſanus, aulicis artibus inferior; cujus nunc toto orbe ſplendidiſſimæ virtutes, reginæ nondum innotuerant. Reverſus in Scotiam victor Hamiltonius nullum non lapidem movere pro Rege videbatur.

Fæderati interim propriâ authoritate, (contra manifeſtas regni leges) conventum ordinum Edenburgum indicunt. Quem quidem Regi exitioſum fore, oculati omnes, & quotquot rebus ejus ſtudebant, præviderunt: adeoque ab illo horrebant, ut præſentiâ ſuâ honeſtandum minimè putarent. Hamiltonius verò nomine, & authoritate Regis interpoſita, eoſdem per literas compellat, ut conventui frequentes intereſſent. Nec dubitare ſe, quin ſuffragiis ſuperiores forent, ſi operam ſuam hac vice Regi non denegarent. Quod ſi ſecùs accideret, paratum ſe fore, cum amicis, contra fæderatos proteſtari, & ſtatim ſecedere. Nomine regio & illâ ſpe illecti, proceres frequen-

tes comitiis interſunt, Montisroſano pauciſque illi adhærentibus exceptis. Sed & cum Montisroſano idem per amicos egit ut pro fide, & pronâ in Regem voluntate ſe illis adjungeret. Ille (qui omnia meritò ſuſpecta habebat) reſpondit ſe quidem paratum eſſe ad quodvis diſcrimen ſubeundum, ſub ejus etiam imperio qui vicaria regis poteſtate & authoritate emineret; hac tamen lege, ut fidem daret, ſi juſtum & æquum in conventu impetrare non poſſent, ſe illud armis repetiturum. Ille proteſtaturum ſe reſpondit, non pugnaturum. Quibus perpenſis, Montisroſanus ut ſe ipſum purum conſervaret, rei eventum præſtolaturus domi ſe continuit.

In conventu illo fæderati ſuffragiis plus minus ſeptuaginta ſuperiores; regiam authoritatem penitùs conculcarunt, jus vocandi comitia, ſcribendi milites, fædera cum exteris nationibus contrahendi, aliaque hactenus inaudita, invito rege, ſibi arrogant. Et in malorum omnium cumulum, validum exercitum cogendum contra Regem & fæderatis ſuis Anglis auxilio mittendum decernunt. In quem finem, ſubſidiis, & novis vectigalibus populum onerant, eiſque longè gravioribus; quàm ſi in unum con-

congerantur omnia, quæ temporibus difficillimis, poſt duo annorum millia, centum & novem Reges impoſuêre.

Montisroſanus ergò, qui regiâ authoritate, Regem ipſum perditum iri conſpiciebat; nec ſeſe ſimul fœderatorum viribus, & Regis mandatis opponere poterat; triſtis & anxius omnia diſſimulabat. Fœderati verò, propter repulſam quam Eboraci paſſus erat, & prælatum Hamiltonium, alienatum ejus à Rege animum rati; clàm denuò per amicos tentant, ſi quâ prece, aut pretio pellectum, ad ſe pertrahere poſſent. Magiſtratus, opes, ſupremas in curiâ, & exercitu dignitates ultrò deferentes. Quæ quidem ille non admodùm ægrè audire videbatur, quò altius in intima eorum conſilia penetraret. Fœderati quo certior ſimul & ſanctior amicitia coiret, magnum illum fœderis ſui Apoſtolum Alexandrum Henderſonium ad eum ablegant; qui ſcilicet illi omnibus abundè ſatisfaceret. Ejus viri Montisroſanus avide expetebat; colloquium à quo profundiſſima fœderatorum conſilia expiſcari neutiquam dubitabat. Nè verò clandeſtini cum iſto viro congreſſus, offendiculo eſſent aliis, qui ſecum regiæ Majeſtati benevolebant; Naperium & Ogilvium reguſos, Sterlinum Kerium

Kerium equitem alioſque Regi impenſiùs faventes, teſtes & conſcios adhibere ſtatuit. Et ad ripam Forthæ amnis, non procul Sterlino oppido congrediuntur.

Montisroſanus adventum tanti viri gratiſſimum ſibi dixit; utpotè cujus fidei, integritati, & in rebus arduis prudentiæ plurimum tribueret. Se quidem ad amoliendam, poſt recentes ſimultates, hoſtium invidiam domi ſuæ ſubſtitiſſe; rerum omnium quæ in conventu tranſigerentur ignarum; & quomodò in tam lubrico reip. Statu ſe gereret, fermè incertum profitetur. Rogare porro, ut pro ſolito candore, quid illis in animo ſit, liberè impertiretur. Henderſonius ex hac oratione inclinantis ad fœderatos animi conjecturam faciens, quo hominem magis ſibi obnoxium redderet, planè & ſine ambagibus reſpondit. Statutum eſſe exercitum quàm poſſent validiſſimum, fœderatis ſuis Anglis auxilio, contra copias regias conſcribere. In hoc acquieſcere unanimiter, omnes utriuſque regni fœderatos, vel Regem in ordinem cogendum eſſe, vel illis pereundum. Nihil jam optatiùs accidere poſſe, quam ſi ille cum æqualibus regni proceribus, adeoque cæteris ordinibus gratiam & amicitiam inire velit. Hoc omnibus gratum; ipſi verò non modò utile, ſed & honorifi-

norificum fore. Ejus exemplo alios (si qui sint) qui vanam regii nominis umbram revereantur, illico ad fœderatos transituros. Se quidem domino Deo suo quàm maximas debiturum gratias, quod tam egregii facinoris ministrum, & quasi sequestrum facere dignatus fuerit. Enixè denique rogare, ut animi sui sententiam exponeret, ejusque fidei & industriæ committeret ea, quæ à conventu ordinum ad utilitatem, dignitatemque suam fieri desideraret: certoque sibi persuaderet in omnibus ex voto satisfactum iri.

Montisrosanus eorum notitiam liquidò adeptus, quæ magnoperè desiderabat; suspensos adhuc, & incertos eorum animos detinere studebat. Quid enim responsi daret? si se illis hostem palam prædicaret, hoc Regi quidem inutile, sibi verò exitiosum fore prævidebat. Ampliorem verò de se spem facere dedignabatur; eaque polliceri, quæ exsequi non decreverat, manifesto dedecori fore reputabat generosus animus. Hanc ergo ingreditur viam. Interfuit isti colloquio cum Hendersonio Iacobus Rollocus eques familiæ perantiquæ, & opibus florentis princeps. Huic olim Montisrosani soror matrimonio locata fuit; quâ defunctâ, Argathelii Marchionis, fœderatorum

torum in Scotiâ coryphæi: ſororem ſecundis nuptiis duxerat. Hic pari affinitate utrique junctus, peridoneus amicitiæ conciliandæ internuncius videbatur. Iſtum Montisroſanus interrogat, utrum quæ ab illis prolata eſſent, publicâ conventus ordinum authoritate, an privato tantùm ſtudio niterentur? Ille Henderſonio à conventu data eſſe mandata, arbitrari ſe reſpondit. Henderſonius verò negat; nihil tamen dubitare ſe, quin conventus rata habeat, quæ ipſe promiſiſſet. Montiſroſanus nihil certi ſtatuere poſſe ſe aſſerit abſque publicâ fide; diſſentientibus præſertim inter ſe internunciis. Hic (quod in ejuſmodi rebus fieri ſolet) alius in alium culpam referebat: cum utrumque juſtiùs de propriâ incuriâ, & negligentiâ queri oportuerit. Deſito in hunc modum colloquio, Montisroſanus quidem voti compos; illi verò nihil certi referentes, ad ſuos rediêre.

CAP. III.

MOntisroſanus à colloquio reverſus, rem totam ſicuti geſta eſt ad amicos, quibus unicè fidebat, defert; & ſimul ſuadet ut unà omnes (ad majorem fidem

fidem faciendam) ad Regem properarent, quò pleniſſimè de cunctis edoctus, ſanioribus conſiliis aurem præberet. Et adhuc, ſi fieri poſſet, ad tanta mala avertenda maturum adhiberet remedium. Plerique conclamatum hactenus eſſe, de Rege, ejuſque authoritate cenſebant. Rem eſſe, humanas vires penitus excedentem, ut regnum iſtud ad debitum obſequium reducatur. Se quidem Deo, propriæ conſcientiæ & famæ ſatisfeciſſe, qui huc uſque cum ignominiâ, bonorum jacturâ, & vitæ diſcrimine in fide perſtiterint. In poſterum ſpectatores, Deum opt. max. meliora ardentibus votis imploraturos. Montisroſanus, qui nullis unquam ratiônibus adduci potuit, quò minùs in honeſtiſſimâ ſententiâ perſeveraret; communicato conſilio cum Ogilvio regulo, quem unicè ſemper diligebat, rectà Oxoniam petit. Aberat inde Rex, ad obſidionem Gloceſtriæ profectus. Reginæ verò quid fœderati in Scotiâ in Regiam Majeſtatem molirentur, fruſtra impertit. Nihil illa ſibi perſuaderi patiebatur, propter fiduciam quam longè maximam in Hamiltoniis fratribus collocabat.

Cum nihil apud Reginam proficeret Montiſroſanus, Gloceſtriam proficiſcitur,

tur, ipsique Regi omnia denunciat. Exercitum validissimum in Scotiâ comparari, diemque dictum esse quo in Angliam perduceretur. Sibi consilia eorum penitùs perspecta esse ; & spe conciliandi ejus animi ampliſſimas in eodem dignitates oblatas fuisse. Se verò tantum scelus ex animo aversatum, ad Regem accurrisse, ut ille præmonitus, si minus opportunum aliquod & efficax afferret remedium ; remoram saltem & impedimentum aliquod objiceret : quoad res suas in Anglia componeret. Perduelles in hoc & illo regno seorsum facilius domandos ; ubi verò copias viresque conjunxerint, rem fore difficillimam. Quamplurimos esse Scotos, qui se suaque omnia pro chariſſimo Rege devoverent ; quorum prona voluntas illi quidem inutilis futura sit, post coactum exercitum ; sibi ipsis verò perniciosa. Maturè premendos esse elatos perduellium spiritus, viresque infringendas priusquàm in immensum excrescant, ne principiis neglectis, sero forsan pœnitendum sit. Hęc & similia indies quidem, sed frustra inculcabat. Enimverò illi, non tantùm cum fiduciâ Regis, quam in Hamiltoniis longè maximam collocaverat : sed & cum perditissimis aulicis colluctandum fuit.

Qui

Qui ejus adoleſcentiam, temeritatem, ambitionem, & in Hamiltonios odium invidiamque Regis auribus ſubinde inſuſurrabant. De Hamiltoniorum verò integritate, fide, prudentiâ, potentiâque magnificentiſſimè diſſerebant. Nihil proficiente Montisroſano, Rex Oxoniam ad hiberna reverſus eſt. Et quamvis percrebreſcentibus de exercitu Scoticano rumoribus, vera omnia prænunciaſſe Montisroſanum perſentiſceret: certum tamen fuit ſanctiſſimo Regi, Scotis ſuis, niſi priùs Angliam ingreſſis, ne vel leviſſimam querelæ materiam exhibere. Se quidem datam fidem ſanctè colere: quam ſi illi violaverint, Deo & ſibi pœnas daturos, nihil dubitare. Dum iſta Oxoniæ agitantur, fœderati in Scotiâ, nullo obſtante, ex animi ſui ſententiâ omnia peragunt. Copias quàm poſſunt maximas contrahunt. Et jam in ipſo regnorum limite exercitus in procinctu ſtabat, qui peditum octo & decem; equitum vero duobus conſtabat millibus. Tandem ergò Hamiltonii adventantis infeſti exercitus, per literas Regem admonere non erubuerunt. Hoc excuſationi prætexentes, ſe ſecundum datam fidem ſedulò curaſſe, ne qui eum ex Scotiâ preteritâ æſtate invaderent: quò verò inclinante

jam

jam hieme, hoc non faciant, impedire ampliùs non posse. Certo enim cum validissimis copiis jam jamque affuturos. Rex ubi se apertè ludificatum sensit, tandem Montisrosanum ultrò compellat; Hamiltoniorum literas explicat: & quid potissimùm agendum sit, sententiam ejus, serò quidem, sed seriò postulat.

Montisrosanus refert, Majestatem regiam tandem pervidere posse, nihil ipsum ex ambitione, aut avaritiâ, aut Hamiltoniorum odio; sed pro debitâ fide, & observantiâ dixisse. Annum jam & ampliùs elapsum esse, ex quo tam ipsum Regem, quàm prudentissimam Reginam imminentis periculi admonere non destiterit. In hoc se infelicem, quòd apud optimum dominum, fidissimus servus, fidem non invenerit. Rem jam deperditam videri, cui facillimè mederi potuisset, nisi se illorum arbitrio permisisset, qui ejus authoritate suffulti, aliorum quidem ora obturaverint; alios verò nihil tale cogitantes, specie charitatis in Regem, ad promovendam rebellionem inscios abduxerint. Quique jam comparato exercitu, perduellibus omnia gratis tradiderint. Rex semet fædissimè proditum conquestus, ab eis quibus arcana, sceptrum, honorem vitamque credidisset;

didiſſet; impenſiùs conſilium ejus rogare perſtitit. Ille rem deploratam videri præfatus, verumtamen ſi ſic domino Regi viſum fuerit; ſe, vel in reducendis popularibus ad obſequium, nec impunè periturum ſpondet: Vel (quod nondum deſperaret) perduelles in ordinem coacturum. Rex hominis fiduciâ, magnanimitate, & in rebus etiam perditis conſtantiâ non parùm erectus, quò maturiùs de totius rei bene gerendæ ordine conſultaret; diem unum aut alterum indulgens demiſit.

Tempore præſtituto reverſus ad Regem Montisroſanus indicat, ſe rem planè arduam & difficilem aggredi. Scotiam omnem fœderatorum jugo ſubactam, munimenta præſidiis occupata, inſtrumenta militaria, commeatum, arma, ſtipendia, militem, cuncta deniqué ad belli uſus neceſſaria abundè ſuppetere. Perduelles inſuper Anglos arctiſſimo fœdere, ad mutua auxilia contra omnes mortales junctos eſſe. Sibi vero nihil eorum eſſe; quæ ad famam ſaltem in belli initio conciliandam inſerviant. Non militem, non ſtipendia, & ne arma quidem. Iuſtiſſimæ tamen cauſæ, & divinæ opi non diffidere; & ſi juberet Rex rem in ſe ſuſcipere. Regi quidem nihil novi detrimenti, odium,

odium, invidiam, periculum, pro charitate in Regem, in ſe derivaturum: modò ad paucula ejus poſtulata clementer annueret. Enimverò ut res melioribus auſpiciis geratur, perneceſſarium inprimis videri, ut Rex armatos quoſdam ex Hibernià in occidentalem Scotiæ partem immittat. Deinde ut Marchioni Novi Caſtri (qui tum verſus Scotiam, copiis Regiis, cum ſummo imperio præerat) mandaret ut aliqnâ equitatus ſui parte auxilio eſſet ad invadendas Scotiæ partes meridionales; quorum præſertim præſidio Montisroſanus in intima Regni penetraret. Inſuper, ut à potentiſſimo Daniæ Rege aliquot equitum Germanorum turmas impetraret. Et deniqúe ut ratio iniretur, quâ parari, & ab exteris nationibus arma in Scotiam deferri poſſent. Ad iſta, etiam humanam accedere debere induſtriam; cætera Deo, & providentiæ permittenda. Rex laudato ejus conſilio, & gratiis etiam actis, quod nondum de ſummâ rei deſperaſſet; hortatur ut tanto operi ſe alacriter accingat: poſtulata ejus ſibi curæ fore.

Et ſanè quod ad auxilia Hibernica, Antromiæ comitem accerſit, & conſilii Montisroſani participem facit. Eſt ille origine Scotus, ex nobili & antiqua Makdo-

Makdonaldorum gente oriundus, opibus & potentiâ in Hiberniâ clarus, pleriſque etiam in Angliâ primæ nobilitatis affinis; junctâ ſibi matrimonio Buckingamię ducis viduâ. Ditione autem ſuâ pulſus, Oxoniæ degebat. Hic negotium, quod ad Hibernos attinet, ſummâ cum alacritate in ſe ſuſcepit. Simulque fædus cum Montisroſano inire omnino voluit, quo ſeſe ultro obſtrinxit ante cal. Ap. anno 1644. in Argatheliam (quâ parte Scotiæ Hiberniæ objacet) cum decem millibus deſcenſurum. Agebantur verò illa menſe Dec. anno 1643. Quod verò ad externa auxilia & arma, Ioannes Cokeramius eques legatione ornatus, cum mandatis, & diplomate Regio dimittitur. Mandata ad Marchionem Novi caſtri in Montisroſani comitatu deferenda traduntur. Ille verò literis & diplomate Regio inſtructus, quo regni Scotiæ vicarius gubernator, & copiarum dux renunciatus erat, iter in Scotiam meditabatur. Ex improviſo interim nunciatur, Hamiltonium ducem, cum fratre Lanrici comite Oxoniam verſus properare. Illi, quo ſibi aditum facilius patefacerent ad Regem, quem hactenus conſiliis ſuis obnoxium ſemper detinuerant; & priſtinam apud eum gratiam recupera-

rent: per omnem Angliam, quà illis eundum fuit, præsertim apud provinciarum, urbiumque præfectos, & belli duces prædicabant, se patrio solo extorres, amissis bonis, & de vitâ etiam periclitantes, pro fide erga Regem, à fœderatis exactos, Oxoniam fugere. Montisrosanus verò, & qui cum eo sentiebant, ista quidem ad eluendam recentis culpæ notam magnificè jactari: verùm vana & falsa esse arguebant. Illos scilicet fiduciâ gratiæ quâ dudum apud Regem, & validæ factionis, quâ in aulâ sibi addictissimâ pollebant, non dubitare quò minus eundem obtinerent locum, modò vel ad salutationem admitterentur. Nec aliâ de causâ illuc properare, quàm ut denuo Montisrosano everso, extinguerent scintillulam istam Regiæ Majestatis, quæ adhuc in Scotiâ spirabat. Et Montisrosanus liberè testatus est, se tanti mali spectatorem nunquam futurum. Adeoque Regis veniam humillimè postulare, ut quovis gentium se recipere liceat, si isti, qui toties spem de eis conceptam frustati fuissent, in gratiam redirent. Non quòd durius quid in illos decerni cuperet; sed tantùm quòd Regem rogatum velit, ut sedulo caveret, ne quid ampliùs illi rebus ejus nocerent. Rex tamen ægrè consensit, ut aulâ arcerentur.

rentur. Et omnino Lanrici comitem in civitate degere permiſit. At ille neſcio quibus ſtimulis agitatus, Oxoniâ Londinum ad Parliamentum Anglicanum, & mox ad fœderatorum in Scotiâ exercitum (qui jam in Angliam irruperat) ſeſe tranſtulit: & ſtrenuam illis operam navare poſteà non deſtitit. Frater transfugaſio Regis animum perpulit, ut ducem ipſum carceri mancipandum cenſuerit.

Erant in aulâ, & caſtris Regiis Scoti nonnulli, meritò forſan ſuſpecti quòd fœderatis addictiores eſſent; & illis arcana quæque perfideosè proderent. Iſtos, ut tanquam ad lydium lapidem probaret, hanc rationem inire Montisroſano viſum eſt. Libellum ex Regis mandato conſcribi curavit, cui Scoti quotquot fideles videri vellent, manu ſua ſubſcriberent. Profitentes eo ſeſe fœderatorum conſilia ex animo deteſtari; immiſſum, præſertim in Angliam exercitum, contra Regem legeſque patrias, tanquam Majeſtatis crimen damnare; & inſuper ſanctè polliceri, cum bonorum omnium & vitæ diſpendio, ſe crimen illud pro viribus, in reos vindicaturos. Huic libello, viri probi & honeſti certatim ſubſcripsère. Inventi tamen duo ſunt, qui-

bus Rex omnium Scotorum poſt Hamiltonios maximè fidebat, Trequarius comes, & Gulielmus Moravius cubicularius Regis, qui multùm reluctati, & metu detectæ proditionis vix tandem induci, aut potiùs cogi potuerunt, ut illud præſtarent. Nihilominus & illi interpoſito jurejurando promiſerunt ſe in Scotiâ Montisroſano ad certum diem auxilio affuturos. Quâ in re etiam fidem fædiſſimè violarunt.

His peractis, & Oxoniâ verſus Scotiam digreſſo Montisroſano, Hamiltoniorum amici, aliique infidi aulici, hominem vanum & ambitioſum prædicare, rem quæ fieri planè non poſſet aggredi, fæderatorum vires, & potentiam immodicè extollere, & quò plures deterrerent, qui nobiliſſimi facinoris participes eſſe deſiderabant, nihil ab iſto viro ſperandum eſſe, malitiosè apud omnes jactabant.

Ille viliſſimorum hominum obtrectationibus, nihil commotus, Eboracum, & mox Dunelmum pervenit: ubi Novi caſtri Marchioni mandata Regis tradi curat, & poſtridiè congreſſi ad colloquium deſcenderunt. Novi caſtrenſis nihil quàm rerum omnium in exercitu ſuo penuriam oſtentare. Perduelles Scotos,

Scotos, qui mediâ hieme improviſi irruperant, delectum ejus pervertiſſe, jamque intra quinque paſſuum millia, numero longè ſuperiores caſtris ſuis imminere. Equitatum denique nullum ſine manifeſto totius exercitus periculo concedere poſſe. Montisroſanus contra differebat, nihil magis ad proſperum belli eventum conducere poſſe, quàm ſi equitatus (quo plurimùm valebat) partem ſecum in Scotiam mitteret, hoſteſque averteret, aut ſaltem diſtraheret: & ad ſuos propugnandos retraheret, domeſtico periculo attonitos. Novi caſtrenſis ſe præſenti periculo defunctum Montisroſano non defuturum amicè reſpondit. Quod præſtiturum fuiſſe virum nobilem & de Rege optimè meritum, ſi diutiùs provinciis iſtis cum imperio præfuiſſet, nullus dubitaverit; modò ei perſpectum fuerit honeſtum illud, & generoſum pectus. Interim, quod unum pro anguſtiâ temporis potuit, ad centum equites, ſed equos ſtrigoſos, & malè habitos (non imperatoris culpâ, ſed aliorum invidiâ) cum duobus tormentis æneis, minuſculis illis, quæ campeſtria vocant, ei attribuit.

Mandata inſuper dedit ad Regis miniſtros, & militiæ præfectos in Cumbriâ

& VVeſtmoriâ, ut Montisroſano Scotiam petenti, frequentes in armis adſint, & operam ad omnia ſtrenuè præſtent. Montisroſanus Carleolum verſus profectus, in itinere obvios habuit Cumbros & Weſtmorios, pedites quidem octingentos, cum tribus equitum turmis, qui eum ſecundùm Novicaſtrenſis mandata, in Scotiam comitarentur. Ducebat ipſe equites ducentos, viros pleroſque nobiles & generoſos; quique in Germaniâ, Galliâ, aut Angliâ ordines duxiſſent. Quibus copiis perexiguis quidem, nec ſatis fidis, inſtructus, Scotiam ingreſſus eſt ad Id. Ap. Properabat enim, ne tempore, ab Antromio comite præſtituto abeſſet.

CAP. IV.

SCotiam ingreſſus Montisroſanus, ad Ananam amnem pervenerat; cum ortâ inter anglos militari ſeditione, cui auſam præbuêre Richardi Græmi ſatellites, plerique omnes ſigna deſerunt, & præcipiti curſu repetunt Angliam. Ipſe tamen Dunfriſium cum ſuis pervenit; & oppidum, deditione civium in fidem recepit. Pauliſper etiam illic commoratus eſt, ut Antromio cum auxiliis Hibernicis

nicis occurreret. Verùm tempore præſtituto jam pridem elapſo, nullus ab eis nuncius, nulla de eis fama in Scotiam perlata fuit. Concurrentibus verò undique fæderatis, niſi maturè ſe recepiſſet, hoſtium inſidiis proculdubiò fuiſſet interceptus. Carleolum tamen incolumis cum ſuis reverſus eſt Montisroſanus. Et cum nihil ſubſidii ab Anglis impetrare poſſet, nec ab exteris auxilium brevi affuturum putaret, nec de Hibernis ferè ulla ſpes ſupereſſet: & Kalendarium comitem in Scotiâ novum exercitum contraxiſſe comperiſſet, quo Leſlæo ſubſidio eſſet, qui jam Eboracum cum fæderatis Anglis obſidione cinxerat, ne tempus ſegni, & inutili otio tereret, inſtituit illis, qui in Northumbriâ & agro Dunelmenſi Regi militabant, operam ſuam navare. Nec ſanè ea aut illis inutilis, aut ipſi indecora fuit.

Exacto enim ex urbe Morpetenſi fæderatorum præſidio, arcem expugnavit; Prædam omnem Anglis permiſit, Præſidiarios, acceptâ fide, nunquam contra Regem militaturos, ſine graviore pœnâ demiſit. Munimentum ad Tinæ amnis oſtium fæderatis (qui non ita pridem præſidium Anglorum inde deturbaverant) eripuit: captivos eâdem, quâ

Morpetenſes lege, in Scotiam remiſit. Novum caſtrum, comportatis ex Anvico & locis vicinis frugibus, commeatu non exiguo juvit. Et iſtis geſtis, Ruperti Principis Comitis Palatini ad Rhenum literis, qui ad ſolvendam obſidionem Eboracenſem properabat, accerſitur. Et quamvis ille quâ potuit celeritate, ad eum contendebat: poſtridiè tamen quàm adversâ fortunâ, pugnatum fuit, revertenti ab Eboraco Principi obvius factus eſt. Et Princeps quidem mille equites Montisroſano ultrò obtulit, quos ſecum in Scotiam duceret. Verùm optimi Principis animum, qui nimiâ apud eum gratiâ valebant, perverterunt; adeo ut poſtridiè illius diei quo promiſerat, ne unum quidem impetrare potuerit.

Deficientibus ſic omnibus, à quibus aliquid auxilii ſperandum fuit; ſolus animus Montisroſano nunquam defecit. Carleolum ergo reverſus cum paucis illis quidem, ſed fidis æquè ac fortibus viris, qui illi adhærebant; Ogilvium regulum cum Guilielmo Rolloco equite, obſcuro & ementito habitu, ne ab hoſtibus deprehenderentur, in intima Scotiæ ablegat. Illi, ante quartum & decimum diem reverſi, omnia in Scotiâ deperdita eſſe

esse renunciant. Aditus, arces, urbes fœderatorum præsidiis teneri; nec quemquam inveniri, qui reverenter saltem, aut cum aliquo honore, & affectu de Rege verba facere audeat. Hoc tam tristi nuncio perculsi, plerique eorum qui Montisrosano hactenus adhæserant, ut sibi quoquo modo consulerent, aliò oculos animosque convertebant. Instigante, præsertim ad defectionem egregio illo viro Trequario Comite. Qui votorum omnium, & dirarum, quas capiti suo coram Rege imprecatus fuerat immemor, fidem publicam, præmia etiam, opes, dignitatesque transfugientibus fœderatorum nomine, pollicebatur. Quasi non Regis, quod præ se ferebat, sed perduellium res procuraret: qui tamen post Hamiltonium, gratiâ, & fide apud optimum Regem præcipuè eminebat.

Montisrosanus vocatos ad consilium amicos rogat; ut quid tandem in tristi hoc rerum statu, faciendum videretur, in medium proferant. Suadent alii ut ad Regem Oxoniam proficiscatur; illique conclamatum esse de rebus Scoticis renunciet. Non adfuisse cum copiis Hibernis Antronium; nec ullam de eis spem feciſſe. Ab anglis parum aut

nihil impetratum fuiſſe. De armis & auxiliis externis ne nuncium quidem perlatum; adeoque nullâ ejus culpâ accidiſſe, quod mandato ſibi munere, non functus fuerit feliciùs. Alii, ut literas apologeticas, cum diplomate, Oxoniam ad Regem remitteret; ipſe verò ad exteras quasvis nationes, pro tempore ſe reciperet, quoad Deus opt. max. ſuggerat meliora. Omnes in hoc unanimi conſenſu conveniunt, nihil amplius in illo negotio attentandum eſſe. At ille, unus & ſolus longè alia in excelſo illo, & malis invicto animo verſabat. Nunquam ille chariſſimum dominum & Regem, vel in præſenti mortis periculo deſerendum, nunquam de juſtiſſimâ causâ deſperandum putavit. Et ſi majus aliquid, quàm quod in vulgares animas cadat, auderet tentaretque; ſibi quidem honorificum, nec Regi forſan inutile fore augurabatur. Sicut enim dubium eſſet, an tandem adverſam Regis fortunam, clementior Deus in lætiorem commutaret: Ita illud utique certum eſſe, quamvis excidentem ingentibus auſis, honeſtè tamen, & cum laude moriturum. Rem tandem Dei opt. max. curæ & tutelæ ardentibus votis committens, ſinè milite, ſinè ſtipendiis, ſinè armis ea geſſit, quæ ut nobis, qui audi-

audivimus, qui vidimus, qui rebus gerendis præſentes interfuimus planè miranda; ſic & maximis in poſterum ducibus cum laude imitanda & æmulanda ſint. Ea verò qualia fuerint deinceps ſumus deſcripturi.

Paucos iſtos, qui conſtantes in fide perſeverabant, ad Regem perducendos Ogilvio tradit Montisroſanus. Illum enim, ut omnium, ſic & præſentis conſilii participem fecit. Simulque mandat, ut ſtrenuè apud Regem agat, pro maturando ab exteris nationibus, ſi non militum, at armorum ſaltem auxilio. Et ipſe bidui itinere, cum illis profectus, relictis apud eos equis, aſſeclis, & aliis impedimentis, ſeipſum clam ſubduxit. Et quâ potuit celeritate Carleolum repetiit. Illi de ejus diſceſſu nihil ſuſpicantes, propter Ogilvium & alios chariſſimos præſentes, Oxoniam contendebant. Verùm eò nunquam pervenerunt, plerique enim, inter quos ipſe Ogilvius, Ioannes Inneſius eques & equitum tribunus, Henricus Græmus frater, optimæ ſpei adoleſcens, Iacobus, Ioannes, Alexander Ogilvii, Patricius Melvinus, & alii viri fortes, & Montisroſano in paucis chari, in hoſtium manus inciderunt, Omneſque diuturno prorſus, & ſquali-

do carcere macerati ; quoad vertente anno, ab ipſo Montisroſano, armis in libertatem vindicati, fidelem illi operam poſtea præſtiterunt. Ille Carleolum reverſus, Aboinium quidem comitem conſilii ſui participem fecit, ne vel minimam querelæ materiam relinqueret , quod inſcio , & inconſulto illo rem tantam aggreſſus fuerit , cujus utilis forſan futura fuerit in rebus gerendis opera. Verùm cum juſtam in illo adoleſcente conſtantiam deſideraret , illum ut difficillimi itineris ſocium non ambiebat. Facilè etiam perſuaſit , ut Carleoli ſubſiſteret, quoad rerum geſtarum famà excitetur. Et tum quidem magis opportunum fore ejus in patriam reditum.

Iamque aditer accinctis, duos omnino itineris ſocios , & viæ duces aſſumpſit. Guilielmum Rollocum equitem, virum generoſum, expertæ fidei, & manu , & conſilio promptum. Et Sibbaldum quendam, quem ob fortitudinis famam pari honore, & amore proſequebatur. At hic, poſteà tempore difficillimo ab eo defecit. Montisroſanus Sibbaldi ſervulum ſimulans , & habitu equiſonem referens , ſtrigoſo planè equo inſidebat, alterum vero trahebat manu.

manu. Et ſic ad regni limites progreſſus eſt, ubi notos tutoſque aditus ab hoſtibus diligentiſſimè obſervatos offendit. Acceſſit etiam quod longè majorem metum incuſſit. Non procul à limite, in clientem quendam Richardi Græmi fortè inciderunt, qui eos fæderatos eſſe ratus, & ex Leſlæi militibus, qui fræquentes per iſta loca obequitabant, liberè fidenterque indicat; Patrono ſuo cum fæderatis Scotis optimè convenire. Et in ſe ſuſcepiſſe, tanquam eorum ſpeculatorem, delaturum ad eos, ſi qui ad iſta loca diverterent, quos Regi favere ſuſpicaretur. Indignum facinus, propudioſi nequam, de quo non modò Montisroſanus optima quæque ſperabat; ſed & qui ab infimæ plebis fece, ne quid graviùs dicam, ad equeſtris ordinis dignitatem, & opes vicinis invidendas, Regis gratiâ, & malè collocatâ munificentiâ, evectus erat.

Non procul ab iſto digreſſi, obvium habent militem, Scotum quidem, ſed qui in Anglia ſub Novocaſtrenſi Marchione meruiſſet. Et iſte neglectis comitibus Montisroſanum ſalutavit. Quod cum ille diſſimulare, & negligere contenderet; non dubitavit iſte, ſed voce, & vultu ad modeſtiam & officium compoſito, ingeminare, nonnè ego domi-

num meum Montisroſarum Marchionem probè novi? abi cum bono Deo, & vale. Ille, ubi ſe agnitum ab iſto comperit, aureis paucis donatum demiſit. Qui rem fidei ſuæ commiſſam non prodidit. Montisroſanus iſtis ſermonibus vehementer ſtimulatus, quàm maximâ potuit celeritate, famam ſui antevertendam cenſuit. Nec jumentorum armis parcere, aut fræna fermè laxari permiſit, quoad, quarto demùm die, in agro Perthenſi, quà montes pertingit, non procul à Tai amnis ripâ, ad ædes Patricii Gremi Insbrakii, conſanguinei ſui pervenit. Patricio ab illuſtriſſimâ familiâ Montisroſanâ oriundo, & ſplendidiſſimis natalibus digno, Montisroſanus jure merito plurimum tribuebat: apud quem, interdiù in ſatis obſcuro tugurio; noctu, in montibus vicinis aliquot dies ſolus egit. Comites enim ad amicos ablegaverat, ut univerſum regni ſtatum accuratè perdiſcerent, & reverſi ipſum, edocerent.

Poſt paucos dies, rebus, quâ potuerunt fide, & induſtriâ exploratis, nihil illi quàm tragædias renunciant. Subditos, quotquot probi, & fideles eſſent, perduellium tyrannide oppreſſos jacere. Eorum verò qui ſeſe armis vindicare auſi erant,

erant, alios pecuniis, alios capite multatos, alios in vinculis detentos, extrema quæque indies expectare. Huntilæum Marchionem arma temerè rapta, ad primum hoſtilis tubæ ſonitum depoſuiſſe. Copias quidem illi non contemnendas adfuiſſe; ſed defuiſſe copiis ducem. Amicos, & clientes ejus, hoſtium implacabili odio & vindictæ expoſitos; ipſum verò ad ultimum inſulæ angulum aufugiſſe, & in alieno agro deliteſcere. Montisroſanus hoc nuncio, Huntilæi præſertim errore, & Gordoniorum caſu, ut par erat, valdè commotus fuit. Quos ille viros, fide in Regem, fortitudinis, & rei militaris gloriâ claros, tam inſigni clade, nullâ eorum culpâ afflictos ingemiſcebat. Et jam tum animo verſabat, quo tandem pacto eoſdem ad ſe pertraheret; ut denuò, ſed ſub alio duce, belli aleam pro chariſſimo Rege experirentur.

CAP. V.

SPargebantur interea apud paſtores, qui gregibus ſuis in montibus invigilabant, incerti rumores de Hibernis quibuſdam, qui navigiis advecti in ſeptentrionali Scotiæ plagâ, loca montana per agra-

agrabant. Montisroſano videbatur non vero abſimile, iſtos eſſe de numero auxiliariorum quos ante quatuor menſes Antromius promiſerat. Nihil tamen certi eâ de re ſtatuere potuit, quoad, ecce literas à montanis quibuſdam, intimis ejus amicis, & Alexandro Makdonaldo itidem Scoto, quem Antromius paucis iſtis Hibernis ducem impoſuerat, ad Montisroſanum, datas. Quas ad amicum quendam ſuum. & eundem partium ſtudioſiſſimum deferri curaverant; ut eas ille Carleolum ſi quà fieri poſſet, tranſmitteret; ubi Montisroſanum adhuc ſubſiſtere putabant. Ille, cui nihil de ejus in patriam reditu ſubolueret, quamvis in viciniâ habitaret, rem fortè Patricio Græmo impertiendam cenſuit. Et Patricius eas ſibi curæ fore pollicetur, fidenterque ſuſcipit illas Montisroſano traditurum, etiamſi illi Carleolum uſque eundum foret. Et ſic omni expectatione citiùs, favente planè & dirigente numine, ad eum pervenerunt. Ille autem, quaſi adhuc Carleoli eſſet, reſpondit; jubetque bono animo eſſe, nec enim auxilium opportunum, nec ducem illis defuturum. Simul etiam mandat, ut quàm primis in Atholiam deſcendant.

Erant

Erant Atholii Montisroſano multis nominibus obnoxii; & ob eximiam in Regem fidem, pietatem, conſtantiam, cum ſingulari fortitudinis famâ Montanorum chariſſimi. Et ſanè illi tantâ tanti viri æſtimatione digniſſimi ad belli exitum perſtiterunt. Hiberni, & perpauci cum illis montani Scoti, qui fermè omnes ex Badenothiâ erant; acceptis Montisroſani mandatis, confeſtim Atholiam petunt. Ille, qui non ſupra viginti paſſuum millia aberat, pedes & in montano habitu, uno illo Patricio conſanguineo viæ duce & comite, illico illis, & improviſus adeſt. Et ſanè vix ſibi perſuadere poterant Hiberni, hunc quem præſentem conſpiciebant, ipſum eſſe Montisroſanum. Verùm ubi ab Atholiis, aliiſque quibus probè notus erat, ſalutatum; & tantùm non ut ſalutare numen adoratum viderunt; incredibili gaudio perfuſi ſunt. Peropportunus enim illis fuit ejus adventus; in ſummo diſcrimine poſitis. Inſequebatur eos Argathelius, valido & inſtructo exercitu. Campeſtris Regio in armis expectabat, ſi in planiciem deſcenderent, vel equorum ungulis protrituri. Navigia quæ eos advexerant, ab Argathelio concremata, ne quis effugio locus eſſet. Nec

Atho-

Atholii, aut alii qui Regi favebant ullum diſcrimen cum illis ſubituri erant; quia, cum peregrini eſſent, non apertâ Regis, & cognitâ authoritate nitebantur. Nec ullum antiquæ nobilitatis ducem obſtentabant; quod montani iſti imprimis venerantur; nunquam Alexandri Makdonaldi novi hominis auſpiciis militaturi. Numerus denique perexiguus, qui non centum ſupra mille milites excedebat, quamvis decem millia promiſſa fuiſſent.

Poſtridiè Atholii maximâ alacritate, armatos ſe, & ad obſequium pronos, numero octingentos Montisroſano exhibent. Ille hac manu ſtipatus, & Deo opt. max. juſtiſſimæ cauſæ tutelam ardentibus votis commendans; nihil jam deſiderabat quàm cum confertiſſimis hoſtibus manus conſerere. Ulterioris etiam moræ impatiens, illo ipſo die, per Atholiæ campos Iernam verſus contendit. Tam ut amicis, & auxiliariis (ſi qui rei famâ excitarentur) aditum patefaceret, priuſquam ab hoſtibus præcluderentur: quàm ut perduelles, rei novitate perculſos aggrederetur, antequam copias, adhuc diffitas, conjungerent. Wemiam ergo, Meneſiorum arcem prætergreſſus, cum illi fecialem, quem ad eos amico

amico animo miſerat, ignominiosé; milites verò, qui extremum agmen claudebant, hoſtiliter tractaſſent: agros populari, ædes, frugeſque collectas, immiſſis facibus incendi juſſit. Quò in ipſo quaſi belli limine majorem aliis terrorem incuteret. Taum deinde, fluviorum Scotiæ longè maximum, cum parte copiarum illâ nocte trajecit. Reliqui poſtridiè, multo adhuc mane inſequuntur. Itineri accinctus, Patricium Græmum, de quo ſæpiùs, nec unquam ſine honore dicendum eſt, Atholiis enixè rogantibus, ducem dedit. Et eundem cum expeditis quibuſdam, quos ex Atholiis ſuis delegerat, ad ſpeculandum præmiſit. Ille conſpici à ſe armatos, in edito colle ad Bukintum renunciat. In eos Montisroſanus rectà ducit. Imperabant iſtis Kilpontinus Regulus, Taithiæ comitis filius, perantiquæ nobilitatis vir; & de nobiliſſima Græmorum gente oriundus; & Iohannes Drummondus eques, Perthenſis comitis filius, & hic Montisroſani conſanguineus. Appellati erant illi à fæderatis, ut ſe cum aliis, Hibernis tanquam hoſtibus publicis opponerent; ducebantque quingentos omnino pedites, nec quidquam certi de Montisroſano adhuc inaudiverant. Ille hos quàm primis occu-

occupare, & vel ad partes pertrahere, vel opprimere ſtatuit. At illi ubi primùm Montisroſanum imperare intelligunt, amicorum præcipuos ad eum mittunt, qui quid in animo haberet, interrogent. Ille Regiâ authoritate munitum ſe reſpondit; eandemque à deteſtanda rebellione pro viribus vindicandam ſuſcepiſſe. Rogare inſuper eos, viros ſibi multis nominibus chariſſimos; ne operam etiam ſuam meritiſſimo Regi præſtare graventur. Quod ut eorum natalibus dignum, & Regi gratum foret; ſic & in præſentiarum utile, & apud poſteros, exteroſque eximio eorum honori cederet, ſi illi omnium primi, ad nutantem Majeſtatem ſublevandam accurrerent. Illi abſque ullâ cunctatione, nec inviti qudem, ad partes tranſeunt. Uterque enim, quamvis occultè, Regi vehementer favebat.

Ab iſtis edoctus Montisroſanus fœderatos frequentes in armis Pertham confluxiſſe (ſecunda illa eſt poſt Edinburgum Scotiæ civitas) ibique hoſtes ex Atholiâ deſcendentes opperiri.

Et ille gnarus, Argathelium cum exercitu veſtigiis ſuis inſiſtere, ne inter hoſtiles copias opprimeretur; Pertham progredi inſtituit, ut hoſtes vel ad dimicandum

dum cogeret; vel ut urbem vi captam redigeret in poteſtatem. Tribus ergo miliaribus Bukinto progreſſus, & perbrevi tempore militibus ad curanda corpora permiſſo; illuceſcente ſtatim die, copias educit. Nec ſupra totidem miliaria ab urbe aberat, cum hoſtes in amplâ prorſus & apertâ planicie (Tippermoram vocant) pugnam expectantes conſpicit. Imperabat illis Elchous regulus, rei militaris, ut ferebatur, non admodùm peritus. Aderant illi Tullibardinus Comes, Drummondus regulus, ſed hic, (ut fama eſt) invitus, qui cum universâ familiâ paternâ, Regi ex animo favebat. Equeſtris verò ordinis plurimi, inter quos Iacobus non minùs nomine, quàm natione Scotus; qui cum Venetis olim etiam cum bonâ famâ meruiſſet, militari peritiâ eminebat. Ducebant illi peditum ſex millia, equites verò ſeptingentos. Hoſteſque ſuos præcoci ſpe, & multitudinis ſuorum fiduciâ devoraverant. Dies erat dominicus, ipſis Kal. Sep. & miniſtris curæ imprimis datum eſt, ut militum animos, ſanctiſſimi (ſcilicet) fœderis memores; ad pugnam fortiter capeſſendam, compoſitis orationibus, accenderent. Et illi quidem, vehementiſſimâ laterum contentione, eo mune-

munere fortiter defuncti ſunt. Ipſius enim omnipotentis Dei nomine, facilem illis, & incruentam victoriam pollicentur. Inter eos, opinione imperiti vulgi, eruditione, & ſanctimoniâ eminebat quidam Fredericus Carmichael, qui iſtam vocem pro concione edere non perhorruit. Si unquam Deus ex ore meo, quid certi aut veri protulit; ego vobis ejus nomine, certam hodiè victoriam ſpondeo.

Sacris ritè, ut videbatur peractis, aciem inſtruunt. Dextrum cornu Elchous ipſe ducebat, ſiniſtro imperabat Iacobus Scotus; mediam aciem Tullibardinus cogebat Comes. Cornibus, equitum alæ additæ ſunt, quibus hoſtem in tam amplâ planicie circundari poſſe, minimè dubitabant. Montisroſanus hoſtium multitudinem, & equitatus præſertim robur conſpicatus (nec enim ille equitem vel unum, nec plures quàm tres omninò ſtrigoſos, & emaciatos equos habuit) ut par erat ſolicitus, ne tam impari numero circumventus, à fronte, à latere, à tergo ſimul premeretur; aciem, quantùm quidem fieri potuit, extendi curavit. Treſque tantùm milites in ſingulis ordinibus collocari juſſit. Hi, ut ſimul omnes jaculis hoſtes impeterent, eos qui ordines

ordines ducebant, genibus flexis, incurvos; medios, quaſi illis incumbentes & pronos; noviſſimos, qui & proceriores erant, erectos ſtare juſſit. Inſuper mandat, ne fruſtra pulverem ſulphureum prodigerent, cujus inopiâ quàm maximè laborabant; & ne vel unum emitterent globulum, priuſquam ad ipſa hoſtium ora ventum foret. Sclopetis verò primâ vice diſploſis, ut ſtatim ſtrictis mucronibus, & obverſis manubriis in eos fortiter incurrerent. Impetum eorum hoſtes nunquam perlaturos, magnâ cum fiduciâ ſpondet. Dexterum cornu, quod Iacobo Scoto oppugnandum fuit, ipſe Montisroſanus ducendum ſuſcepit, ſiniſtrum Kilpontino regulo, mediam aciem Makdonaldo attribuit cum Hibernis. Et hoc quidem optimo conſilio factum fuit, ne Hiberni illi qui nec haſtis longioribus, nec gladiis armati erant, in cornibus poſiti, hoſtili equitatui exponerentur.

Miſerat ad hoſtium duces, Montisroſanus, Drummondum Madertæi Reguli primogenitum; virum nobilem, & omni virtutum genere cumulatiſſimum; qui ejus nomine denunciaret, Se quidem, ſicut & optimum Regem, à quo mandata accepiſſet, à fundendo civili ſanguine quàm

quàm maximè abhorrere: nec aliud magis habere in votis, quàm victoriam incruentam. Illam utrumque exercitum sic tandem assequi posse, si ante belli aleam, illi ad debitum domino Regi obsequium revertantur. Se non opibus inhiare, non honores ambire, non dignitatibus invidere, non vitis chariſſimorum civium insidiari; unum hoc iterum atque iterum, per Deum immortalem obsecrare, ut tandem sanioribus consiliis aurem prębeant; & in optimi Regis gratiâ, tutelâ, fide se suaque collocarent. Qui, ut hactenus in religione, aliisque omnibus, quæ Scotis suis expetere visum fuit, cum longè maximo Regii juris detrimento abundè satisfecerit; sic adhuc, ut indulgentiſſimum patrem, quamvis infandis laceſſitum injuriis, ad liberos suos pœnitentes amplexandos utramque manum extenderet. Quod si verò illi contumaces in rebellione perſiſterent, Deum teſtem habere, se eorum pervicaciâ victum, ad imminens certamen deſcendere. Hoſtium duces ad iſta quidem nihil. Verùm, legatum, qui ſolâ in patriam charitate id muneris ſuſceperat, contra jus gentium, ſub cuſtodiâ militari ignominioſè habitum, Pertham incarcerandum remittunt. Votiſque impiis ſeſe obſtringunt, partâ demùm

mùm victoriâ, caput illi amputaturos. Clementior tamen Deus, aliter quam illi putabant, lectiſſimi, ornatiſſimique viri incolumitati conſuluit.

Ventum erat ad globi tormentarii jactum, cum hoſtes ſub Drummondi reguli imperio, ſelectos quoſdam præmittunt ante aciem; qui leviore pugnâ Montisroſanum tentarent, ac laceſſerent. Pauci ad iſtos coërcendos miſſi, eos primo inſultu turbant, fundunt, & ad ſuorum aciem cum trepidatione non exiguâ pellunt. Montisroſanus momento huic inſtandum eſſe judicavit. Nec quidquam magis, ad ſuos animandos, & terrorem hoſtibus incutiendum conducere poſſe, quam ſi palantes, & recenti vulnere attonitos confeſtim inſequeretur: nec colligendis animis, & componendis, ſpatium permitteret. Ingenti ergo ſublato clamore, univerſam aciem in eos immittit. Hoſtes primo eminus, majora tormenta ante aciem collocata, majore cum ſtrepitu, quam irruentium damno diſplodunt. Deinde ipſi in pugnam procedentes, equites in Montisroſani milites invecti ſunt. Eos illi deficiente jam pulvere tormentario, cum nec longioribus haſtis, ac ne gladiis quidem plerique eſſent armati; armis quæ caſus obtulit,

lapidibus nimirùm, fortiter exceperunt. Quorum ingentem vim tantâ animorum, corporumque contentione, in eos conjecêre, ut receptui ſignum dare coëgerint non ampliùs redituros. Enimverò Hiberni Montanique egregiâ quâdam fortitudinis æmulatione, tam pertinaciter recedentibus inſtitêre, ut tandem præcipiti fugâ ſibi conſuluerint. Acriùs pauliſper in dextero cornu certatum eſt. Iacobus Scotus aliquamdiu pro editiore colle acriter contendit. Verùm miles Montisroſanus corporis viribus, pernicitate præſertim, & agilitate ſuperior, locum ſtrenuè occupavit. Inde ſtrictis mucronibus, Atholii deſuper in hoſtes irruunt. Et numerum ſclopetariorum, globos, inſtar grandinis emittentium, nihil morantes; comminùs (quod unicè expetebant) aggreſſi, proſcindunt, proculcantque. Hoſtes tandem eorum impetum ſuſtinere non valentes, apertam fugam corripuerunt. Equitum plerique, equorum pernicitate, ſalutem ſibi quæſiverunt. Peditum quàm maxima ſtrages; quos ad ſex, aut ſeptem miliaria victores inſequuti ſunt. Cæſa traduntur fœderatorum duo millia; plures capti. Quorum alii præſtito ſacramento militari, victoris arma ſequuti ſunt: ſed malâ fide, ple-

plerique enim omnes defecêre. Reliquos datâ, ſolemni modo, fide, nunquam in poſterùm contra Regem ejuſve duces militaturos libertati reſtituit. Pertham eodem die, ne vel minimo illato urbi damno, in fidem recepit; quamvis plerique omnes ferè incolæ contra eum in acie ſtetiſſent. Tam inſigni clementiâ fore ratus, ut civium animi faciliùs Regi conſiliaremur; ad quod unum conſilia ſua omnia dirigebat.

CAP. VI.

MOntisroſanus triduum Perthæ ſubſtitit. Enimverò plurimos in locis iſtis, qui ſe Regis ſtudioſiſſimos jactabant, famâ recentis victoriæ excitos, cum amicis & clientibus armatis, fruſtra expectabat. Solus Kinnulius Comes, cum paucis ex Gaureâ generoſis, ad partes venerunt: nec illi quidem ſatis conſtantes permanſerunt. Iamque Argathelius, cum valido peditum exercitu, juncto ex auſtralibus locis equitatu, adventabat. Quapropter Montisroſanus trajecto Tao, ad Cuprum in Anguſiâ oppidulum, & olim egregium, nunc dirutum Monaſterium, caſtra ſub die (ut fermè ſemper) locavit. Hic' illi obvius fuit inſignis ille

adoleſcens Thomas Ogilvius eques, Arlæi Comitis filius, cum aliis Anguſianæ nobilitatis generoſis viris, qui operam ſuam ultro detulerunt. Quos ille benignè habitos, & multùm laudatos, demiſit, ut ad militiam tolerandam ſe præpararent. Perpauci tamen eorum, præter Ogilvios, ejus caſtra ſequuti ſunt.

Poſtridiè, incertâ adhuc luce, necdum dato militibus ſignò, ad iter capeſſendum; totis caſtris tumultuarii milites ad arma decurrere, fremere, indignari, & furioſorum more inſanire preſentit. Et ille, tumultum fortè ex rixâ inter Montanos & Hibernos exortum ratus, medium ſeſe, in confertiſſimum agmen conjicit. Ibi horrendum planè flagitium recens perpetratum comperit. Iacebat nobiliſſimus Kilpontinus regulus indignâ morte trucidatus. Sceleris patrator ipſius cliens, nomine Stuartus, quem vir nobilis intimâ familiaritate, & amicitiâ dignatus fuerat; adeo ut illâ ipsâ nocte, ſub eodem tegumento dormiverint. Fama eſt, viliſſimum illud mancipium conſtituiſſe Montisroſanum ipſum de medio tollere. Et pro nimiâ gratiâ, quâ Kilpontinum ſibi quaſi obnoxium habebat, ſpem concepiſſe pertrahendi eum ad ſocietatem ſceleris: adeoque in locum

cum ſolitarium perducto, conſilium ſuum impertiviſſe. Kilpontinum verò, non aliter quàm par erat, facinus deteſtatum; & parricidam, tum metuentem, ne fortè ab eo proderetur, incautum illum, & improviſum, & nihil ab amico, & beneficiario ſibi metuentem, non uno vulnere confeciſſe. Perditiſſimus tamen ſicarius, occiſo eminùs milite, qui ad portam caſtrorum excubias agebat, evaſit; tam densâ caligine, in ſequentium oculis offusâ ut vix haſtarum cuſpides apparerent. Parricidam à fæderatis, precio alii, alii ſpe tantùm præmii illectum vulgavêre. Ut ut ſit, hoc ſanè conſtat gratiſſimùm illis eſſe in hunc uſque diem; & quàm primum ab Argathelio ad amplisſimas dignitates in exercitu evectum, hominem militiæ planè rudem. Montisroſanus, viri nobilis & amici, caſu optimè de Rege, optimè de ſe meriti; nec minùs bonarum artium, Philoſophiæ, divini humanique juris peritiâ, quàm fidei, & fortitudinis nomine clari, vehementer commotus fuit. Et corpus exanimum non ſemel amplexus, inter ſuſpiria & lachrimas, triſtiſſimis amicis & clientibus tradidit, ad parentes deferendum; ut pro ampliſſimâ familiæ dignitate, ſepulturæ mandaretur.

Ipſe cum reliquis copiis Taodunum proficiſcitur, oppidum illud, numero civium ferox, & addito ex Fifanis præſidio confirmatum; deditionem recuſabat. Nec ille victoriæ recens partæ famam in ejus expugnatione periclitandam ratus, versùs Eskam tendit. Pleroſque enim amicos ſuos, & affines, viros in illis locis, opibus & clientelis florentes, qui de ſe, ſuâque in Regem charitate, magnificè ſatis, verba facere ſoliti erant, præſto ſibi affuturos arbitrabatur. Verùm illi famâ adventantis excitati, ſe ſubduxerunt. Unus Ogilvius, Arlæus Comes, idemque ſexagenarius, cum filiis Thomâ & Davide equitibus, aliiſque amicis & clientibus, expertæ fortitudinis viris, ſeſe Montisroſano adjunxit. Et eximiâ fide & conſtantiâ, uſque ad belli exitum, contra omnes fortunæ inſultus lateri ejus adhæſit. In generali fermè illâ defectione, procerum Scotiæ cum Montisroſano, alterum decus & ornamentum.

Iſta agenti Montisroſano nunciatur, delegatos fæderatorum (quorum Burglæus Regulus dux, & præſes erat) Aberdoniam cum exercitu tenere. Et ſeptentrionales partes, in quibus ipſe maximam collocabat fiduciam, prece, pretio, & armo-

armorum vi, ad partes ſuas pertrahere. Iſtos Montisroſanus quàmprimis expugnandos ſtatuit; priuſquam Argathelius copias cum eis jungeret. Longis ergo itineribus, illuc contendit. Et occupato Deæ amnis ponte, civitati appropinquans, hoſtes in acie ſtantes ante urbem invenit. Ducebat Burglæus peditum duo millia, equites vero quingentos; quos in alis collocaverat. Et occupatis locis opportunis, majoribuſque tormentis ante aciem commodè diſpoſitis, prælium expectabat. Montisroſanus peditum mille & quingentos ducebat (Kilpontini enim milites, demortui ducis corpus parentibus ſepeliendum conduxerant; & ex Atholiis plerique poſt victoriam Perthenſem, ſpoliis onuſti domum, unde non procul aberant, ſe receperant) Equites omnino quadraginta quatuor; quos bipartitos, & expeditiſſimis quibuſdam ſclopetariis & ſagittariis (qui corporum agilitate, & pernicitate, equitibus propemodùm æquales erant) refertos, & munitos in alis conſtituit. Ut præcaverent, ne ab hoſtium equitatu ſui circumirentur. Quod quidem illi, ſupra opinionem, & forſan multorum fidem fortiter præſtiterunt. Alæ quidem dextræ Iacobum Haium, &

Nathanéélem Gordonium, ſiniſtræ verò Wilielmum Rollocum viros fortiſſimos præfecit. Siniſtram hoſtium alam regebat Ludovicus Gordonius Huntilæi filius, adoleſcens audax, & præfervidus; ſed deſultorii ingenii, qui amicos clienteſque paternos, etiam invitos contra Montisroſanum armaverat. Hic planiciem campoſque nactus equeſtri prælio aptos, copias in dextrum Montisroſani cornu eduxit. Quod ille conſpicatus, Rollocum cum viginti equitibus, periclitantibus in dextro cornu ſuis ſubſidio miſit. Et illi, eximiâ virtute ducum, & expeditorum peditum robore, ſuffulti; hoſtium impetum tantâ cum fiduciâ excepêre; ut trecentos ipſi duntaxat quadraginta quatuor, perturbatis ordinibus & plæriſque cæſis, ad ſuos repulerint. Verùm ob ſuorum paucitatem, fugientes ultra inſequi non auſi ſunt. Quod quidem optimo ducum conſilio factum, magni fuit ad conſequendam victoriam momenti. Hoſtes enim in ſiniſtrum cornu equitatu deſtitutum dextram ſuorum alam immiſerunt. Montisroſanus ergo eoſdem (fugato jam cum ſuis Ludovico Gordonio) in ſiniſtrum cornu mirâ celeritate, transfert. Qui cum tantæ multitudini parem aciem extendere non poſſent, obliquato

quato itinere, primum hoſtium impetum evitant. Actis, deinde quàm dexterrimè in gyrum equis, in latera hoſtium invecti, ſtrictis mucronibus invadunt, cædunt, fundunt, fugant. Forbeſium de Kragevar equitem, inſignem in hoſtibus virum, alterumque itidem Forbeſium de Boinlâ, captos abducunt. Reliqui ſe tutò receperunt, quia tam pauci eos tutò inſequi non poterant. Qui hoſtilem equitatum ducebant, non tàm damno perterriti, quàm interato dedecore efferati; & expeditis iſtis ſclopetariis equitatui immiſtis, jacturam ſuam imputantes; & ipſi pedites ex medio ſuorum agmine accerſunt: majoribus animis ad pugnam rediturí. Hoc cum præſagiret Montisroſanus, paucos iſtos, quamvis fortiſſimos viros, equis præſertim duplici pugnâ fatigatis; hoſtibus pedeſtri auxilio auctis, & confirmatis, denuo objicere noluit. Iamque equitatum hoſtilem ex recenti perturbatione incompoſitum, & procul ſatis à copiis pedeſtribus diſſitum obſervaverat. Quapropter pedites ſuos (quibus damnum non exiguum à majoribus hoſtium tormentis inferebatur) obequitans in hunc modum compellat. Nihil proficimus commilitones. Qamdiù eminùs res agitur, quis timidum, imbellemque à ſtrenuo,

fortiqúe dignoſcat? Si meticuloſos iſtos, & enerves homunculos comminùs agreſſi fueritis; nunquam erunt illi veſtræ virtuti pares. Agite ergo, mucronibus, & ſclopetorum manubriis inſultate, proterite, in fugam conjicite, & meritas irrogate perfidiæ & rebellionis pœnas. Nec illi impigrè ducis mandata exſequentes, irruunt, & facto impetu, in ruinæ modum fundunt fugantqúe. Equites, qui ſubſidiarios pedites expectabant, ubi fugientes eos viderunt, & illi citatiore curſu ſe ſubducunt. Quibus, victores nec inſequi quidèm, nedum aſſequi valentes, ſecuram fugam permisêre. Peditum verò longè alia ratio fuit, quorum perpauci victorum manus evaſerunt. Cum enim, quò fugerent, præterquam in urbem non haberent; victoreſqúe victis immiſti per portas, poſticasqúe irrumperent, totâ urbe acervatim cadebant. Quatuor horas pugnatum fuit tam dubio Marte, ut nemo dignoſceret, in quam partem inclinaret victoria. Habuit quidem in hoc prælio Montisroſanus tormenta quædam majora; ſed nulli uſui: occupatis (ut dictum eſt) ab hoſtibus locis opportunioribus. Verùm hoſtilia, non parum incommodi noſtris intulerunt. Inter

alios,

alios, Hibernus quidam tibiam ad extremam fermè cutem, ictu majoris tormenti, amputatam trahebat. Hic, ſocios ejus caſu paululum attonitos cernens, clarâ voce, & gratulanti ſimilior proclamat: Hem Socii, belli hæc alea eſt, nec mihi, nec vobis pænitenda. Vos rem ut decèt, fortiter gerite. Quod ad me attinet, certus ſum Dominum meum Marchionem me, pedeſtri inutilem, ad equeſtrem militiam evecturum. Simul his cultellum thecâ educit, immotuſque & imperterritus, cute, propriâ manu, diſciſsâ, tibiam commilitoni humandam tradit. Et ſanè curato demum vulnere, equeſque factus, fidelem ſæpè, ſtrenuamque operam poſtea navavit. Pugnatum fuit ad Aberdoniam pridiè Id. Sept. anno 1644. Et Montisroſanus militibus ad ſigna revocatis, urbem ingreſſus, biduum curandis corporibus permiſit.

CAP. VII.

NUnciatur intereà Argathelium cum longè validioribus copiis quàm antehac adeſſe: Lothiano Comite, cum mille & quingentis equitibus

cum comitante, Aberdoniâ ergo ad Kintorium vicum decem millibus paſſuum diſtantem ſecedit: ut Gordoniis Huntilæi amicis, & clientibus, & aliis qui Regi impenſiùs favere putabantur, aditum patefaceret. Inde Wilhelmum Rollocum equitem Oxoniam ablegat, qui Regem de rebus hactenus proſperè geſtis, certiorem faceret, & ſuppetias ex Angliâ, aut aliundè impetraret. Eum quidem bis proſperè pugnaſſe: Verùm tot, ac tantis copiis, undiqúe quaſi obſeſſum, imparem planè fore, niſi maturè ſubveniatur. Interim nihil Montisroſanum magis angebat, quàm quòd Gordoniorum nemo ſe illi adjungeret; de quibus longè alia, & meliora ſperaverat. Non defuêre tamen qui pronam eorum voluntatem teſtarentur: ſed clam adverſantem Montisroſano Huntilæum, Familiæ, gentiſque principem, ſuos omnes exemplo, & authoritate cohibere. Illum quidem in extremâ inſulæ orâ latitantem alienæ gloriæ, quam ipſe fruſtra expetiviſſet invidere. Amicis clientibuſque, additis etiam minis, interdicere, ne cum Montisroſano commune haberent quidquam, aut illi conſilio vel auxilio opitularentur. Quæ cum ille perſpecta habuiſſet, transferre ad loca aſpera & montana copias

ſuas

ſuas ſtatuit: ubi hoſtium equitatum (quo maximè pollebant) inutilem fore ſatis noverat. A pedeſtribus verò quantâvis multitudine eſſent, juſtiſſimæ cauſæ, & militum ſuorum virtuti fiſus, non multùm ſibi metuebat. Majoribus igitur tormentis, terrâ effoſſâ, in paluſtri quodam loco reconditis, impedimentis etiam aliis moleſtis, & prægravibus ſeſe exoneravit. Et ad Spææ amnis tractum profectus, non procul à veteri caſtello, cui Rothemurco nomen, caſtra metatus eſt: cum exercitu, ſi numerum ſpectes, perexiguo; ſed expedito tamen & alacri, & jam victoriis etiam aſſueto.

In adversâ Spææ ripâ, Cateneſios, Suderlandios, Roſſenſes, Moravios, & alios ad quinque millia, in armis offendit; qui eum tranſitu amnis, omnium in Scotiâ rapidiſſimi, arcerent: quoad Argathelius, qui veſtigiis ejus inſiſtebat, à tergo eum adoriretur. Prementibus undique tot hoſtibus, & obſeſſo ſimilis Montisroſanus, ut ſe ſaltem ab eorum equitatu liberaret, Badenothiam, regionem aſperam, montoſam, nec equis fermè perviam petiit. Ubi aliquot dies, gravi ſanè morbo laboravit. Quæ res tam immodico gaudio fœderatos affecit, ut penitùs extinctum eum non dubitaverint affirmare.

mare. Et Deo, quaſi Iovi liberatori gratias publicè habendas decernere. Nec egregii eorum vates ſuo muneri apud populum defuêre. Illi enim quaſi numinis fatiqúe interpretes, ipſius Domini Dei exercituum manu, confectum cecidiſſe; pro oraculo dixerunt. Diuturnum tamen eis non fuit illud gaudium: brevi enim convaluit, & quaſi ſuſcitatus ex mortuis, hoſtes magis quàm antehac perterruit. Ubi enim primùm per morbum licuit, in Atholiam reverſus, Makdonaldum cum parte copiarum ad Montanos ablegat, qui eos ad ſocietatem belli invitaret: detrectantes verò militiam, vel invitos cogeret. Ipſe Anguſiam repetit, ſperans fore, ut Argathelium longis itineribus cum equitatu fatigatum, vel ad Hiberna cogeret; vel quàm longiſſimè poſt ſe relinqueret. Argathelius enim tam lentè, & tanto intervallo inſequebatur, ut planè appareret nihil minus illi cordi eſſe, quàm belli aleam experiri. Peragratâ ergo Anguſiâ, ſuperatoque Grampio (qui, perpetuo ab oriente, in occidentem jugo, Scotiam quaſi in æquales partes dividit) in ſeptentrionalia regni reverſus eſt. Cumque jam Argathelium tanto intervallo poſt ſe relictum exiſtimaret, ut aliquod temporis ſpa-

ſpatium ſibi inſtaurandis copiis conce-deretur; Strathbogiam profectus eſt: ut Gordonios coram ad ſocia arma invita-ret. Sed irrito labore; Huntilæi enim mandatis præoccupati, & ejus etiam, utpote patroni ſui, exemplum ſequuti, ſeſe in ignotis diverticulis occultabant. Viri enim generoſi & fortes, qui principis ſuæ gentis indignationem provocare non audebant; ad ignaviam tamen ſuam erubeſcebant. Gordonium porro Regulum Huntilæi filium primogenitum (heu qualem quantumque virum) Argathelius avunculus maternus ſibi obnoxium cohibebat. Aboinium Comitem, natu ſecundum, Carleolenſis detinebat obſidio. Et Ludovicus hoſtium caſtra ſequebatur. Adeo ut Huntilææ familiæ nullus eſſet, cujus authoritatem ſequuti, arma capeſſerent.

Non paucos tamen dies, ſtativa illic habuit Montisroſanus. Quo quidem tempore, alternis fermè noctibus, cum expeditâ peditum manu (equites enim nullos, aut perpaucos habuit) ſeptem, aut octo, & quandoque etiam decem miliaribus confectis, hoſtes, quaſi tertiâ vigiliâ adoriri, opprimere, fugare; viros, equoſque captivos abducere non deſtitit. Cumque ſuos ſemper ſalvos & incolumes

lumes reduceret; mirum eſt quantâ fiduciâ militum animos accenderit. Adeo ut quamvis numerus perexiguus fuerit, nihil non, illo duce, auderent, facerentque. Tandem verò ubi omnem de Gordoniis ſpem depoſuiſſet, exeunte Octobri Strathbogiâ digreſſus, Faiviam arcem pervenit, occupatque. Atque inibi à ſpeculatoribus, in quibus maximam collocaverat fiduciam, de hoſtili exercitu falſa omnia renuntiantibus, ad ultimum fermè diſcrimen adductus eſt. Enimverò quos Grampium nondùm ſuperaſſe putaverat, ad duo millia paſſuum improviſi caſtra metabantur. Ducebant Argathelius cum Lothianio peditum duo millia, & quingentos: equites verò mille & ducentos. Montisroſanus autem, Makdonaldo, cum parte copiarum ablegato, pedites mille & quingentos, equites non ſupra quinquaginta. Cum iſtis copiis in planiciem camposque deſcendere, extremæ amentiæ res fuiſſet: Atqui verò, in arce, nec ſatis munitâ, ſe continere, indecorum putavit, & famæ, quam recentibus victoriis acquiſiverat, derogare. Aliam ergo ingreditur viam. Copias in collem paulò editiorem, & arci imminentem educit. Solum collis aſperum, foſſæ etiam

etiam & aggeres ab agricolis loci, ad præmunienda paſcua extructi, ſpeciem caſtrorum exhibebant. Nondum tamen omnes in ſtationibus collocaverat, cum ſimul, pauci illi ex Huntilæi clientibus, qui Strathbogiâ caſtra ejus ſequuti fuerant, inſpectantibus omnibus aufugiunt. Et ex adversâ parte, hoſtes collem ferociter adorti, non minimam ejus partem, vi occupant. Quam ſi eâdem virtute, & conſtantiâ defendere & propugnare valuiſſent; conclamatum fuiſſet de Montisroſano. Cujus milites, tam fugientium auxiliariorum exemplo, quam irruentium hoſtium multitudine attoniti, parum abfuit, quin animos deſponderent. Quos tamen ille ſtatim preſentiâ ſuâ, rerum hactenus geſtarum memoriâ, & inſitæ fortitudinis conſcientiâ erexit & confirmavit. Inſuper etiam adoleſcentem quendam Hibernum, nomine O Cænum tribunum ſic compellat: Abi tu O Cæne cum tuis qui tibi præſto ſunt, & iſtos aggeribus noſtris penitùs exue; ne nobis ampliùs ſunt moleſti. Eximiam O Cæni virtutem non ſemel viderat, laudaveratque Montisroſanus: nec ducis de ſe opinionem fefellit vir fortiſſimus. Hoſtes enim quamvis numero longè ſuperiores & equitatu

tatu ſuorum ſuffultos, aggeribus dejectos deturbavit. Et ſacculis etiam quibuſdam pulvere ſulphureo repletis, quos hoſtes in præcipiti fugâ dereliquerant, potitus eſt. Peropportuna fuit hæc præda, pulveris inopiâ laborantibus. Nec ſanè reticendum hîc exiſtimavi, promptiſſimi militum animi egregium indicium. Quidam enim conſpectis ſacculis, quid tandem inquit? nonne & globos plumbeos miniſtrarunt? Atqui verò, & iſtos à parcis illis, & avaris diſpenſatoribus repetere oportet. Quaſi omnino hoſtium illud fuiſſet, neceſſaria ad belli uſus omnia ſufficere.

Equitibus interea ſuis, numero planè quinquaginta, in loco ad hoſtium impetum nimis opportuno, collocatis; ſubmiſſis expeditis ſclopetariis, maturè ſubvenerat. In eos enim Lothianius, quinque equitum turmas immiſit: qui nondum medium interjacentis campi ſpatium emenſi, à ſclopetariis noſtris eminùs impetiti; actis in gyrum equis, trepidè ſe ad ſuos recepêre. Duplici ſucceſſu elati, Montisroſani milites ægrè coërceri poterant, quò minùs in univerſas hoſtium copias cum impetu, & clamore, incurrerent. Quos ille laudatos magis, ut par erat, quam caſtigatos, jubet

jubet officii ſui memores imperium expectare. Veſperaſcente tandem die, Argathelius cum nihil operæ pretium geſſiſſet, copias ad duo miliaria abduxit: noctemque inſomnem egit. Poſtridiè verò cum nunciatum eſſet, Montisroſani milites pulveris, globorumque penuriâ laborare: eductis in eundem locum copiis, collem ipſum, aggereſque invaſuri ſpeciem præ ſe ferebat. Verùm cum ad hoc præſtandum animus illi deficeret, præter privatas inter utramque aciem, diſcurrentium militum velitationes, dum reliqui in ſtationibus ſe continerent, nihil memorabile geſtum fuit. Montisroſanus intereà pateras, amphoraſque, & matulas, aliaque id genus vaſa plumbea undiqúe conquiſita, & liquefacta, in globos converti curabat. Et ne ſic quidem militibus ſufficere potuit. Quo tamen incommodo, adeo illi non fuerunt perterriti; ut quidam, quoties globulum ex machinâ, accenſo pulvere, in hoſtem torſiſſet (quod nunquam fruſtra feciſſe præſumebat) toties ad ſocios converſus, lepidè exclamaret: Ego, inquit, certiſſimo ictu, proditoris os matulâ contrivi. Nec ſanè mirabitur quiſquam Montisroſani milites pulveris, aliarumque rerum ad bellum, & uſus militares ſpectan-

ſpectantium, penuriam ſæpiuſculè perpeſſos; ſi animo ſecum reputaverit, nihil rerum iſtarum illis aliundè, quàm ab hoſtibus devictis ſuppeditatum fuiſſe. Et jam ſecundo etiam die ad veſperam inclinante, Argathelius ſuos trans amnem, eâdem quâ venerant viâ, ad tria miliaria Britannica (quæ unum Germanicum conficiunt) ſubduxit. Et plures ad Faiviam dies tempus ſic trahebatur: Argathelio, cum tanto exercitu nihil aliud reportante, quàm infamiam apud ſuos, & apud hoſtes contemptum. Ejus enim ignaviæ imputatum fuit, quod illic non fuerat debellatum.

Montisroſanus tandem (ne diurno tempore, extremum abeuntium agmen hoſtili equitatui violentiùs carpendum permitteret) nocturno itinere Strathbogiam repetiit. Ubi, & pauliſper ſubſiſtere inſtituit, quia & ſolum aſperum tutiores ſuos præſtabat ab equitum inſultu, & montanis etiam locis vicinum, unde copias auxiliares cum Makdonaldo indies expectabat. Inſequuti ſunt eum poſtridie hoſtes, eo animo, ut ad pugnam in aperto campo ineundam cogerent. Et ſanè ubi primùm in conſpectum venerunt, explicatâ acie, ad prælium ſeſe accinxêre; quaſi totis viribus incurſuri.

Ve-

Verùm præmiſſi ab Argathelio montani, qui levi prælio laceſſerent, fortiter excepti, repulſique ad ſuos. Tum loca opportuniora à Montisroſano occupata, ad tutiora, ſed minùs honeſta conſilia revocarunt. Argathelius inducias petere, colloquia, fide utrinque datâ, inire; nec tantùm oblatis cum impunitate præmiis, militum fidem ſollicitare: ſed &, pudendum dictu, Montisroſani caput, paricidæ cuivis, aut ſicario, immenſo precio redimendum offerre ſatagebat. Quæ cum Montisroſanus perſentiſceret (hominis enim ingenium vafrum, ad fraudes, doloſque texendos, quàm ad juſtum, & apertum Martem magis natum, probè noverat) nihil antiquiùs habuit, quàm exiguas copias quàm longiſſimè ab hoſtili equitatu, ſimul & Argathelii artibus ſubducere.

Convocato ergo ſuorum conſilio, ſententiam ſuam exponit. Illi omnes prudentiam laudant, fidem operamque ſolitam pollicentes. Longinquo ergo itinere, Badenothiam inſequenti nocte, petere inſtituit. Quo verò, milites ad iter difficillimum expeditiores haberet, impedimenta cum præſidio præmiſit: militeſque quaſi ad pugnam in diem craſtinum paratos eſſe juſſit. Iamquè impedimenta

ta in itinere erant, cum ſubito nunciatur Forbeſium de Cragewar captivum, (quem, datâ fide, liberè in caſtris degere permiſerat) unàque Sibbàldum illum, quem unum cum Rolloco itineris, conſiliique participem ex Angliâ fecerat, alioſque transfugas, ad hoſtes defeciſſe. Ille hominum perfidiâ commotus, ut majorem apud hoſtes gratiam inirent, conſilii ſui rationem indicaturos, meritò ſuſpicatus eſt. Confeſtim igitur impedimenta cum præſidio revocat, totamque ſententiam mutaſſe videbatur. Reverà tamen non mutaverat; differendam tamen ad aliquod tempus cenſuit, ut vana & incerta hoſtibus apparerent, quæ à transfugis accepiſſent. Quatriduo tandem elapſo, impedimenta denuò præmiſit. Et collucentibus, totis caſtris, ignibus, equites quos habuit, in conſpectu hoſtium, quaſi excubias agentes collocavit; quoad pedites omni periculo procul erant: deinde & eos incolumes ſubduxit, omneſque cum diluculo Balveniam venêre. Cumque jam ab equitatu, in tuto eſſet, nec hoſtes ultra inſequerentur; provectâ hieme, ipſo ſcillicet brumæ tempore, dies paucos reficiendis viribus militi permiſit. Et hac potiſſimùm tempeſtate, Argathelii artes innotuere.

Ple-

Plerique enim, viri nobiles, & generoſi, & rei bellicæ periti (plures enim, ille duces, ſi Hibernos, montanoſque Scotos excipias, quàm milites ducebat) ad Argathelii fidem ſe receperunt. Cauſabantur alii valetudinem, alii, tantis itineribus, per loca montana, inculta, invia, ſaxis & vepribus obſita, altâ plerùmque nive cooperta, & nullis unquam mortalibus trita, hibernâ illâ tempeſtate impares ſeſe prædicabant. Adeoque invitos, & ultimâ neceſſitate adactos miſſionem petere. Quam quidem ille poſcentibus non negavit: indignanti tamen, & degeneres animos deſpicienti; quàm conſentienti & indulgenti ſimilior. Nec dictu facilè eſt, quantùm iſtorum exemplum vires ejus infirmaverit, & quàm multos deterruerit, qui ut ſigna ejus ſequerentur, ſe præparabant. Unicus Ogilvius, Arlæus Comes, quamvis ſexagenarius, ſimul & valetudinarius, cum tanto patre digniſſimis filiis, Thoma, & Davide equitibus, nullo unquam, vel vitæ diſcrimine, adduci potuit, ut ab eo divelleretur.

CAP. VIII.

BAlveniâ Montisroſanus Badenothiam reverſus, obvium habuit fidum ſanè nuncium, qui indicavit Argathelium cum copiis pedeſtribus (equites enim ad hiber... conceſſerant) Duncaledoniæ conſidere. Et inde omni arte, Atholios ad defectionem ſolicitare. Ille quamvis de eorum fide & conſtantiâ ſecurus, incredibili tamen celeritate, in Atholiam deſcendit. Unicâ enim nocte, viginti & quatuor milliaria, per loca inculta, horrida, nivoſa, & nullis unquam mortalibus habitata, cum copiis confecit. Argathelium nimirùm equitibus deſtitutum aggreſſurus. Verùm ille, ſolâ ejus famâ perterritus, cum adhuc ad ſex ſupra decem milliaria abeſſet, milites ſuos ſibi ipſis proſpicere juſſit: ipſe ſeſe fugâ in Pertham (quam fœderati valido præſidio tenebant) præcipitem conjecit. Redierat jam Makdonaldus, ſimulque Makranaldorum ducem, cum ſuis numero quingentis pertraxerat. Addiditque Montisroſanus Patricium Græmum cum ſelectis quibuſdam Atholiis, quibus ſtipatus ad lacum proficiſcitur unde Taus erumpit, inde per Brodalbium Argatheliam petiturus. Nuſquam hoſtem feliciùs expug-

expugnatum iri ratus, quàm in agro ſuo. Nec ſanè huic conſilio defuerunt rationes graviſſimæ. Inprimis Argathelii in montanis authoritas & potentia, æqualibus & vicinis formidabilis erat: adeoque totius rebellionis origo & fomes. Quotieſcunque enim quis fæderatis ſe opponere, aut eorum mandata detrectare audebat, illico Argathelius coacto ex montanis (qui inviti etiam illi inſerviebant) tumultuario quinque aut ſex millium exercitu, miſerum opprimebat. Et iſtam hominis ſeditioſi, avari, & crudelis potentiam infringendam, ille jure cenſuit. Inſuper montani illi qui non tantum cauſæ Regiæ favebant; ſed & Argathelium, cujus tyrannidem ſæpiùs erant experti, oderant cane pejùs & angue: operam tamen ſuam præſtare metuebant, niſi illo priùs debellato. Acceſſit denique, quod fæderati inferiora Regni, validis præſidiis, & frequenti equitatu obtinebant. Adeo, ut niſi amicorum opes penitùs atterere vellet, aliò copias ſuas ad hiberna perducere non poſſet. Et hiſce planè rationibus permotus, quàm maximis, & difficillimis itineribus, & incredibili celeritate, in Argatheliam defertur.

Argathelius verò tunc temporis, milites in Provincia ſua deſcribebat; diem-

que & locum conventui indixerat. Ipſe autem ſecurus, in munita Inneraræ arce degebat, hoſtem ſupra centum milliaria abeſſe ratus. Nunquam enim antea induci potuit ut crederet exercitum in Argatheliam vel mediâ æſtate, pedeſtri itinere penetrare potuiſſe. Nec ſinè jactatione olim prædicare ſolitus erat, malle ſe centum mille florenorum jacturam facere, quàm cuivis mortalium notas eſſe ſemitas, per quas aditus in ejus ditionem armatis patefieret. Nihil ergo tale cogitanti, trepidi de montibus bubulci hoſtes vix duo millia paſſuum abeſſe denunciant. Et ille conſilii incertus, & mentis fermè præ metu inops, cymbam piſcatoriam nactus, fugâ ſibi conſuluit. Amicos, clientes, & univerſam Provinciam fortunæ, & hoſtium arbitrio permittens. Regio eſt montana & aſpera, frugum ſterilis; nullas enim, aut perpaucas colligunt. Alendis tamen gregibus, in quibus incolarum fermè opes ſitæ ſunt, ſatis idonea. Montisroſanus exercitum tripartitum in agros hoſtiles immiſit. Partem unam Makranaldorum Dux, alteram Makdonaldus, tertiam ipſe ducebat. Provinciam omnem populabundi pererrant. Quotquot armatos offendunt, ad conventum à patrono indictum properantes occi-

occidunt: nec ulli, qui militiæ ſaltem aptus ſit, parcunt: aut priùs abſiſtunt, quàm viros militares omnes provinciâ exigant, aut ad diverticula ipſis ſolis nota compellant. Deinde in pagos & tuguria faces injiciunt, & ultricibus flammis humo adæquant. In hoc talionem Argathelio referentes, qui omnium primus in populares incendio deſæviit. Pecora denique ſecum abigunt. Nec mitiùs cum aliis actum eſt, qui in Lorna, & vicinis tractibus, Argathelii dominium agnoſcebant. Duraverunt hæc ab Idibus Decembris anni 1644. ad quartum aut quintum Kal. Feb. anni ſequentis.

Et ſanè Montisroſanus, non aliàs magis, ſingularem divini numinis providentiam agnoſcere, clementiam & paternam miſericordiam prædicare ſolitus eſt; quod ſe cum ſuis, ex locis iſtis incolumem eduxerat. Si enim vel ducenti armati anguſtias iſtas fortiter propugnaſſent; ejus copias aut eminùs deſtruere, aut aditu arcere facillimè potuiſſent. Deinde, ſi vel bubulci armenta abegiſſent, (quod factu erat facillimùm) in locis ſterilibus, fame fuiſſet pereundum. Vel ſi denique hiems rigida, & procelloſa (qualem quotannis fermè illic experiuntur) incubuiſſet: vel altis nivibus im-

merſi, vel ipſo planè frigore correpti, diriguiſſent. Verùm Deus immortalis, hoſtibus animum, cælo ſolitum rigorem ademit: ſoli verò ſterilitatem armentorum quàm maximâ copiâ penſavit. Tandem verò Argatheliâ digreſſus, peragratâque Lornâ, Glencoâ, & Abriâ ad lacum Neſſi pervenit. Et jam ſanè montanos omnes, vel Argathelii exemplo territos, vel ab ejus metu liberos, ad juſtiſſimam Regis cauſam ſuſcipiendam, & armis propugnandam contra perduelles expectabat.

Ne verò, invicto Montisroſani animo, nova materies aliquando deeſſet; nunciatur ecce Seafordianum Comitem, in illis locis longè potentiſſimum, (de quo optima quæque ſperabat) cum Innerneſſi præſidiariis, qui veterani erant, adeoque Moraviæ, Roſſiæ, Suderlandiæ, Cateneſiæ & Fraſeriorum gentis viribus, cum infeſto exercitu quinque millium peditum, equitumque illi occurrere. Ducebat Montisroſanus mille duntaxat & quingentos. Klanranaldini enim, & plerique etiam Atholii, nihil horum ſuſpicati, & Argatheliæ ſpoliis onuſti, impetratâ miſſione, domum ſe receperant; ad ſigna tamen redituri quandocunque accerſerentur. Nec tamen dubitavit Montis-

tisrosanus, cum tumultuario isto exercitu, rem prælio decernere. Quamvis enim subsidiarios veteranos esse probè noverat: Reliquam tamen multitudinem, ex agricolis, bubulcis, tabernariis, calonibus, & lixis recens conflatam, imbellem omnino & militiæ inutilem reputabat.

Iamque nihil aliud quam in istos pugnam meditantem, fidissimus eum nuncius assequitur; qui indicat, Argathelium, coactis ex inferiori Regno copiis, & insuper additis, qui adhuc illi adhærebant montanis, cum tribus peditum millibus in Abriam descendisse, & ad vetus castellum, cui Interlocho nomen, in ipsis lacus Abriæ ripis, subsistere. Montisrosanus, qui Argathelii, hominis vafri, & meticulosi ingenium perspectum habuit; consilium etiam conjecturâ assequutus est. Nimirùm longo intervallo insequutum, ut eum primò cum septentrionalibus istis committeret; eventum pugnæ ad suum commodum pertracturus; prælio, tamen sponte, non decertaturus. Censuit igitur, rem esse majoris, ad famam belli, momenti, & minoris etiam periculi; si illum in montibus, ubi tanquam numen aliquod tremendum, à rudi populo colebatur, vinci posse demonstra-

ret. Exercitum verò illum ſeptentrionalem, victoriæ de Argathelio partæ, famâ perterritum, in ordinem cogi poſſe augurabatur. Aberat Innerlocho Montisroſanus triginta milliaribus, nec tamen tritâ ſemitâ (quam præſidiis obſedit, ne quis de eo nuncius ad hoſtes perveniret) inſiſtere voluit : verùm, recto itinere, per montes Abriæ invios, & incultos, ſolis bubulcis, & venatoribus cognitos (frequentiſſimi enim ſunt in iſtis montibus cervorum, damarumque greges) quà nulli hactenus mortales copias duxerant; cæſis eorum ſpeculatoribus, hoſtibus improviſus imminet. Illi re inſperatâ minimè attoniti, illicò, correptis armis, ad pugnam ſe accingunt. Quos, ut jam paratos Montisroſanus vidit, ſubſiſtit tantisper, quoad extremum ſuorum agmen, difficillimo itinere fatigatum, præcedentes aſſequeretur. Nox erat; lunaribus tamen radiis æther illuſtratus, diurnæ lucis jacturam penſabat. Noctem in armis agunt, & levibus obſcurâ luce, velitationibus, jugiter invicem laceſſentes, nullum alter alteri receptui locum reliquit. Craſtinum cæteri avidè expectabant, unus tamen Argathelius, aliis conſultior, nocte intempeſtâ ſeipſum ſubduxit; & ſecundò cymbam nactus, inſtantis

pugnæ

pugnæ diſcrimen præcavit. Virtutis nimirùm alienæ arbiter & ſpectator futurus. Illuceſcente porro die, Montisroſanus aciem inſtruit: nec hoſtes impigrè idem fecêre. Nondum enim ipſum Montisroſanum (quod poſtea à captivis reſcitum fuit) ſed prætorem ejus aliquem, aut ducem, cum parte copiarum adeſſe arbitrabantur.

Exorto demùm ſole, poſtr. Kal. Feb. ipſo purificationis B. Mariæ Deiparæ, & ſemper Virginis die, ſignum tubâ datum, non exiguum terrorem hoſtibus incuſſit. Præterquàm enim, quod tubæ ſonus, equeſtris militiæ index, in locis illis inſolens ſit; ipſum Montisroſanum adeſſe demonſtrabat. Primores nihilominus Campbellorum (nomen illud eſt familiæ Argatheliæ, gentilicium) viri fortes & ſtrenui, & omninò digni, qui ſub meliore patrono, juſtiori cauſæ militaſſent, pugnam ipſi quidem alacriter capeſſunt. Milites tamen qui in prima acie ſtabant, machinis ſemel duntaxat diſploſis, Montisroſani militibus ad ſtatariam pugnam ferociter irruentibus, terga dedêre. Quos iidem, ingenti ſublato clamore, tam acriter perſequuti ſunt, ut omnes quaſi uno impetu in ruinæ modum deturbaverint. Inſequuta eſt horrenda fugientium ſtrages,

ad novem milliaria continuata. Cæsi sunt hostium mille, & quingenti; in quibus Campbelli plerique generosi, & qui familiam ducebant, viri apud suos clari: qui quidem pro patrono suo, nimis fortiter dimicantes, in ipso pugnæ campo occubuêre. Quorum sorti Montisrosanus hostis ingemuit, & quotquot potuit authoritate suâ salvos fecit, & in fidem recepit: Cum ipse Argathelius cymbæ impositus, & paululùm à ripâ profectus, suos trucidatos ex alto securè aspiceret. Præfecti quidam militum, & duces, quos ex inferiori Scotiâ illuc duxerat Argathelius, in arcem se receperunt. Eos Montisrosanus, deditione factâ, fidei suæ traditos, benignè habuit: & non paucis humanitatis, & liberalitatis officiis cum libertate cumulatos dimisit. In illa pugnâ, pluribus vulneratis, tres duntaxat gregarios milites desideravit Montisrosanus. Verùm insignem victoriam, insignis planè viri Thomæ Ogilvii equitis, Comitis Arlæi filii vulnera, quæ mors paucos post dies, subsecuta est, luctuosam reddidêre. Erat ille Montisrosano in paucis charus. Qui sub imperio soceri sui Ruthvenii, Forthæ Branfordiæque Comitis (viri, toto terrarum orbe, ob res præclarè gestas notissimi) Regi in Anglia egre-

egregiam operam navaverat. Inde verò ab hujus in Scotiâ belli initio, Montisroſano conſtanter adhæſerat. Nec minùs ſanè ille Minervæ, quàm Martis alumnus, optimiſque literis penitùs imbutus, antiquiſſimæ Ogilviorum familiæ, novum decus & ornamentum, & ad victoriam illam non leve momentum, pro patriâ & Rege honeſtiſſimo fato functus eſt. Hujus amiſſi deſiderio vehementer afflictus Montisroſanus, corpus in Atholiam deferri curavit: & magnifico funere (pro loci, temporumque ratione) extulit. Campbellorum verò in montanis potentia, à multis retrò ſeculis, vicinis formidabilis, hac clade penitùs attrita fuit: eademque Montisroſano ad res faciliùs gerendas aperta eſt via. Montani ſiquidem viri bellicoſiſſimi ab Argathelii invisâ tyrannide liberati, ad operam Regi præſtandam promptiores ſeſe ſponte exhibuerunt.

CAP. IX.

MIliti, immenſis laboribus, confecto, diebus aliquot, ad curanda corpora conceſſis, Montisroſanus Abriæ montes remenſus, ad lacum Neſſi reverſus eſt. Inde vero Harrigæ, Arniæ,

Narniæque tractus perluſtrans, ad Spęam amnem pervenit. Hîc nunciatur, non contemnendam hoſtium manum, Elgini (Moraviæ, provinciæ ultra Spæam ſitæ, caput eſt) ſubſiſtere. Ad iſtos vel ad partes pertrahendos, vel vi, & armis perdomandos, Montisroſanus properabat. Verùm ſola adventantis fama nubeculam iſtam diſpulit; trepidi enim ad nota diverticula ſeſe omnes recepêre. Ille nihilominùs iter proſequutus, Elginum deditione civium, in fidem recepit, poſtr. Id. Feb. Quo quidem tempore, nunquam ſatis ob eximias virtutes laudandus, Gordonius Regulus, Huntilæi primogenitus, ab avunculo (à quo invitus fuerat detentus) ad partes Regias palàm pertranſiit: & cum non adeò multis, ſed delectis quibuſdam, amicis & clientibus, Montisroſano, tanquam Regis præfecto & vicario, operam & obſequium ultrò detulit. Illum Montisroſanus primò benignè & comiter habitum impenſiùs laudavit. Poſtea verò penitiùs cognitum, & probatum, ſanctiſſimo amicitiæ vinculo ſibi copulavit. Quoniam verò Moravienſes plerique fæderatis addictiſſimi, ſe in ſuis abdiderant latibulis; nec quidquam auxilii, ab infenſis animis ſperandum foret: cis Spæam copias duxit,

duxit, Bamphiæ, Aberdoniæque provincias, Gordonii præsentiâ, exemplo, & authoritate, commotas, ad partes pertracturus. Et contractis, quas potuit in illis locis, copiis, cum peditum duobus millibus, & equitibus ducentis; superato Deâ amne, & Grampio, in Merniam descendit. Nec procul Fettercarnia stativa habuit.

Ad Brechiniam verò septem inde milliaribus distantem, Iohannes Urræus eques, vir strenuus, & impiger, & militari gloriâ, etiam apud exteras gentes clarus, equitum fœderatorum præfectus, cæteris etiam copiis cum imperio præerat. Ille cum sexcentis equitibus, ad explorandas Montisrosani vires egressus est. Enimverò eum pedites perpaucos, equitatum verò nullum ducere ratus, si in planiciem descenderet, rei benè gerendæ occasionem sperabat: utcunque verò caderet, secura sibi omnia satis fidenter promittebat. Montisrosanus, ut eum alliceret, abditis in convalli reliquis, ducentos equites duntaxat, sed, ex more, expeditissimis sclopetariis refertos venienti objecit. Quos Urræus conspicatus, expensâ hominum paucitate, suos in aciem eduxit. Verùm serò observato pedite, qui Montisrosani equites

alacriter ſubſequebatur; receptui ſignum dedit: & ipſe quidem Urræus cæteros præmittens in extremo agmine ſtrenuè ſe geſſit. Abeuntibus Montisroſani milites inſtant, urgent, pellunt, quoad ſuperato Eſcâ amne, hoſtes vix nocturnis tenebris tuti, in tutum ſe recepêre. Nec ſanè ſecuros ſe judicarunt, quoad viginti quatuor milliaria emenſi, præcipiti curſu, Taodunum pervenerunt. Tum qui hactenus fuerant inſequuti, Fethercarniam reverſi, ac poſtridie Brechiniam venêre. Hîc edoctus fuit Montisroſanus Bailæum ex Angliâ accerſitum, magni nominis ducem cum ſummo imperio hoſtium copiis præeſſe; Urræum etiam cum equitatu illi adjunctum eſſe: & veteranos pleroſque ex Angliâ, & Hiberniâ revocatos, ſub ſignis habere; jamque fœderatos, quaſi majoribus auſpiciis rem aggredi, adeoque ſibi non modò cum longè alio milite, ſed & peritiſſimis ducibus dimicandum fore.

Quapropter, ne ab eorum equitatu (quo ſemper prævaluerunt) circumveniretur; locorum opportuna ſequutus, juxta Grampii radices Taum verſus tendit: Fortham etiam, ſi quà fieri poſſet, transgreſſurus, unde auxilia Regi non defutura ſperabat. Nec fefellit hoſtes ejus

ejus consilium. Quapropter cum validissimis copiis, duces istos objiciunt. Qui non priùs in conspectum venêre, quàm Montisrosanus pugnæ copiam offerret: verùm nihil minùs illis in animo fuit, quàm acie decernere; adeo ut ne abeuntis quidem extremum agmen turbare tentaverint. Et ille quidem ad arcem Innercaretæam; ac postridie Eliotam vicum profectus est. Hîc denuò, relictis procul à tergo montibus, in planiciem descendit; & per tubicinem Bailæo facultatem pugnandi offert petitque. Inter fluebat infestos exercitus Ila amnis; quem neuter tutò transmittere potuit, si alter alterum arceret. Rogat ergo Montisrosanus securum transitum: quod si Bailæo minimè arrideret, se illi liberum tutumque permissurum; si modò, nullâ amplius interpositâ morâ, dimicaturos, datâ fide sponderet. Bailæus, se suis rebus consulturum; pugnam verò suo, non alieno arbitrio capessere, respondit. Plures dies in hostium conspectu, elapsi sunt: nec hostibus in Montisrosanum copias transmittentibus: nec illo sperante, transitum vi obtineri posse, præ equitum inopiâ. Duncaledoniam ergo progressus, Taum superare conabatur; cum inopinato malo tantùm non oppressus fuit. Ludovicus Gordonius Huntilęi filius, qui in acie,

ad Aberdoniam contra eum ſteterat, nobiliſſimo fratre, Gordonio Regulo, ſequeſtro, in fidem receptus fuerat. Is ſeu veris, ſeu ſimulatis patris literis, ex latibulo ſuo datis, Gordonios fermè omnes, clàm ipſo fratre, ad defectionem ſolicitatos abduxit: fratremque cum Montisroſano, imminente hoſte deſeruit. Et ſanè utri infenſior fuerit, incertiſſimâ jactatur famâ.

Montisroſanus, inſperatâ defectione, multùm commotus, quamvis in ſeptentrionem neceſſariò redeundum foret, ut novas vires acquireret: iter ſuum versùs Fortham nihilominùs ſimulabat. Et ſpeculatores ejus uno ore renunciant hoſtes, ad unum omnes Taum trajeciſſe: ut vadis Forthæ occupatis, eum tranſitu arcerent. Ille, ne nihil planè, ſuperiori conatu effeciſſe videretur, rem præclaram facturum cenſuit; ſi, quaſi obiter, Taodunum, urbem ſeditioſiſſimam expugnaret. Siquidem illa, fidiſſimum perduellium in illis locis receptaculum, nec minima rebellionis pars; non alio, quam civium præſidio tenebatur. Infirmiores ergo, & leviter armatos cum impedimentis, ſecùs montium radices præmiſſos, apud Brechiniam occurrere juſſit. Ipſe, aſſumptis quos habuit equitibus,

(cen-

(centum & quinquaginta omnino erant) & ſexcentis expeditis ſclopetariis: Duncaledoniâ, tertiâ vigiliâ profectus, Taodunum pridiæ Non. Ap. horâ decimâ antemeridianâ, mirâ celeritate, pervenit. Cives verò per fecialem monet, ut urbem Regi tradant: ſic ſaluti ſuæ, & urbis incolumitati conſulturos. Secùs ſi fecerint, ferrum flammamque minitatur. Illi tempus terere, nec reſpondere primò: deinde & fecialem in carcerem compingunt. Quâ contumeliâ irritatus Montisroſanus, per tres urbis regiones, milites immittit. Cives armati ex propugnaculis ſeſe aliquandiu, ſed fruſtra oppoſuerunt. Hiberni enim montanique Scoti ferociter inſiliunt; alii propugnaculis illos expellunt, & majoribus tormentis potiti, ea in ipſam urbem convertunt: alii portas effringunt, forum templumque occupant: alii non uno in loco admotis facibus ædes ſuccendunt. Et ſanè niſi gregarii milites, ex intempeſtiva avaritia, gulaque ad prædam potumque declinaſſent, opulentiſſimum oppidum ſubitò conflagraſſet. Quod tamen non minùs victoribus, quam victis ſaluti fuit. Enimverò ſpeculatores, de hoſtibus, quòd Taum transmiſiſſent, falſa omnia attulerant. Turmas aliquot, nec ſanè multas tra-

trajeciſſe viderant ; quas illi univerſas hoſtium copias rati, ſeque ſuoſque tantùm non prodiderunt.

Stabat in edito colle, qui Taoduno imminet, urbanam pugnam deſpectans Montisroſanus, cum trepidi ſpeculatores Bailæum Urræumque cum peditum tribus millibus, & equitibus octingentis, vix mille paſſus abeſſe teſtantur. Ille ſuos confeſtim ex urbe evocavit ; quod ab illis ægerrimè impetravit. Milites enim hactenus de victoria ſecuri, & vino paululùm incaleſcentes, & opulentiſſimæ inhiantes prædæ, vix cogi poterant, ut urbe captâ excederent. Et ſanè priusquam à præda avelli valuêre, hoſtes intra teli jactum abeuntibus imminebant. Cæterùm, ut in ultimo diſcrimine fieri ſolet, qui apud Montisroſanum erant, ſententiis variabant. Suadebant alii, ut ipſe Montisroſanus ſuæ ſaluti, equeſtri fugâ conſuleret. Nec enim fieri poſſe, ut pedites iſtos, matutino itinere viginti & ampliùs milliarium laſſatos, diurnâ inde pugnâ confectos ; jam verò vino, prædâque graves abduceret. Præſertim cum Taoduno viginti aut forſan triginta milliaria conficienda reſtarent ; priuſquam in tuto collocari poſſent. Belli aleam hanc eſſe, & forti animo tolerandam ; cum longè ma-

majores clades hoſtibus ſæpiuſculè illatæ fuerint. Non dubitandum quin, illo incolumi, copiæ brevi reficerentur: contra verò, ſi quid triſtius illi accideret, conclamatum fore, & perdita omnia exclamabant. Alii rem hactenus deperditam vociferabantur, ideoque honeſtè ſaltem moriendum: & ſi impetu facto, in confertiſſimos hoſtes irruerent, non inglorios perire. Ipſe, nec his, nec illis accedebat. Nunquam enim animum inducere potuit, ut fortiſſimos milites in ultimo diſcrimine poſitos deſereret: decoram cum ſuis mortem indecoræ ſecuritati præferendam ratus. Atqui verò, uſque adeo impares in hoſtem ruere, & cerebrum quaſi ſaxo allidere; ultimum eſſe remedium, nec temere uſurpandum. Deum immortalem, ut non ignaviâ noſtrâ tentandum; ſic neque de ejus ope deſperandum viris fortibus, & Chriſtianis. Hortatur denique ut munera ſua fortiter capeſſerent, eventum Deo, cæteraque ſuæ curæ permitterent.

Illicò ergò quadringentos pedites præmittit, mandatque, ut quantùm, imperturbatis ordinibus, fieri poſſit, greſſus acelerarent. Ducentos omnium expeditiſſimos ſequi jubet. Ipſe cum equi-

equitibus agmen claudit. Progrediebantur equites, tanto intervallo diſſiti, ut expeditos ſclopetarios, ſi res poſtularet, admittere poſſent. Hoſtilem peditem ſuos aſſequi poſſe, non putabat. Et ſi equites ſoli incurrerent, quod vix auſuros augurabatur, rem judicavit non fore uſque adeo difficilem. Et quia ſol jam ad occaſum declinabat, nocturnam umbram, non parum receptui commodam futuram præſenſit. Hoſtes, cognito per captivos, & mox perſpecto abeuntium numero, ubi eos ad iter, non ad pugnam accinctos viderunt; bipartitis copiis, inſequuntur. Neque id tantùm ut à tergo, & à latere ſimul aggrederentur ſed etiam, ut omnem ad montes viam præcluderent. Duces verò, quò ſuos ad inſequendum acriùs exſtimularent, Montisroſani caput, aureorum viginti millibus licitantur. Iamque præmiſſi hoſtium equites, abeuntes urgebant; cum egregii illi ſclopetarii equitatui conjuncti, eorum qui acriùs inſtabant, primum, ſecundum, tertiumque globulis plumbeis exceptos transfigunt. Quorum caſu reliqui cautiores facti, multum de priore impetu remiſerunt. Montisroſani milites, ubi ſe pedeſtri itinere ſuperiores viderunt, recuperatis cum fiduciâ viribus, ſtre-

ſtrenuè contra equites certarunt, donec pugnam nox diremit. Et ut ſeſe ab hoſtibus quoquo modo expedirent, plura milliaria in orientem ſecùs oram maritimam confecerunt. Atqui iſthac illis minimè eundum fuit : ſed ſeptentrionem versùs ad Grampios montes, ut tandem ab infeſtis equitibus ſeſe vindicarent. Verùm longè maximam exercitus ſui partem Bailæus inter eos & Grampium interpoſuerat, ne ullus omnino receptui locus, aut via pateret.

Nocte igitur intempeſtâ, cum non procul Aberbrothiâ abeſſent, Montisroſanus ſuos paululùm ſubſiſtere jubet. Nec diu ſanè ſubſtitit, cum animo reputans, vias adituſque omnes quibus rectà ad montes perveniendum erat, ab hoſtili equitatu interceptos eſſe (nec de hoc opinio eum fallebat) converſo itinere, in occidentem æſtivum, ſuos acriter tendere juſſit. Et hac arte, ſed cum incredibili labore inſequentibus illuſit : quos, illâ ipsâ nocte, prætergreſſus, & mox in ſeptentrionem converſus; die poſtero, oriente ſole, Eſcam meridionalem, non procul à Careſtonia arce trajecit. Indè verò Brechiniam miſit, qui ſuos cum impedimentis arceſſerent. At illi famâ iſtius expeditionis exciti meliùs, & maturiùs

ſibi

ſibi cunſuluerant, occupaverantque montes. Apud Careſtoniam ſubſiſtenti, ſpeculatores ſubitò renunciant, hoſtilem equitatum in conſpectu eſſe, copiis pedeſtribus, cibo, ſomnoque refectis, etiam ſtrenuè inſequentibus. Montisroſanus ipſe jam montibus ad tria milliaria vicinus, non multum ab eis metuebat. Verùm ejus milites, qui tertium diem, & ſecundam noctem inſomnem egerant; ſemperque in itinere, aut in pugna verſati fuerant, tam altus ſopor obruerat, ut vix ſtimulis, & vulneribus ſuſcitari potuerint. Hoſtes tandem levi velitatione excepti, radices montium Montisroſano occupandos permiſerunt: & irrito labore, ab inutili perſequutione ſe recepêre. Ipſe verò Gleneſcam cum ſuis petiit.

Et hæc eſt celebris illa expeditio Taodunana, ſpeculatorum quidem errore infamis. At imperatoriâ ducis virtute, conſtantiâ, animique in ultimo diſcrimine præſentiâ, in paucis inſignis. Militum quoque in tolerandis laboribus patientia planè mirabilis fuit: ut qui ſæpius in pugna, ſemper in itinere, jejuni, & inſomnes, ad ſexaginta milliaria confecerint: ne tantillo quidem temporis ſpatio reficiendis viribus permiſſo. Quæ qui-

quidem, an apud exteros, posteroſve, fidem inventura ſint ignoramus: verùm certiſſima, & compertiſſima nobis, bonâ fide deſcribimus. Et ſanè apud viros rei militaris peritos, & eo nomine, non modò in Britanniâ, ſed & in Germania & Gallia claros, expeditionem iſtam celiberrimis ejuſdem Montisroſani victoriis prælatam non ſemel audivimus.

CAP. X.

CUm jam ſupra ſpem in tuto eſſent, milites corpora curare juſſit Montisroſanus: ipſe verò de ſumma belli ſic ſtatuit. Gordonium Regulum, cum illis qui poſt Ludovici defectionem, conſtantes in fide, & obſequio permanſerant, ad ſuos remittit: tam ut eos revocaret quos frater perverterat, quàm ut novo delectu copias augeret. Quod quidem ille ſtrenuè, & alacriter perfecit; &, aliis caſtigatis, durius in eos animadvertit, qui fraterni ſceleris authores, & miniſtri fuere. Eoque intentiùs negotio incubuit, ut culpæ omnem ſuſpicionem amoveret. Nec ſanè Montisroſanus, aut alius quiſquam Ludovici flagitium magis deteſtatus eſt, quàm no-

nobiliſſimus frater Gordonius. Ipſe verò Montisroſanus, cum exigua parte copiarum (quingentos enim pedites, & equites duntaxat quinquaginta retinuit) per Anguſiam in agrum Perthenſem contendit: ut hoſtes diſtraheret, quoad, collectis undequaque copiis, exercitum repararet. Nec fefellit eum conjectura: fæderati enim Urræum equitatus præfectum, in ſeptentrionem cum imperio mittunt. Illique ex veteranis ſexcentos pedites, cum ducentis equitibus attribuunt: ut ſuos confirmaret, & Gordonium opprimeret. Ipſe verò Bailæus cum exercitu, Perthæ, quaſi in umbilico Regni ſubſtitit; ad omnes eventus paratus. Duobus ſupra decem, milliaribus, aberat Montisroſanus ad pagum cui Kreifo nomen: ubi eum cum exigua manu, admodùm ſecurè agere Bailæus audiverat. Et ille ad omnem occaſionem intentus, primâ vigiliâ, cum toto exercitu Perthâ digreſſus, nocturnum iter accelerabat; ut cum diluculo, improviſum adortus opprimeret. Verùm Montisroſanum rebus ſuis invigilantem invenit; pedites enim ad pugnam, iterve paratos, in procinctu habuit: Ipſe verò cum equitibus hoſti obviam ivit, ut numerum roburque inveſtigaret. Cumque peditum duo millia

lia & equites quingentos comperiſſet; mandavit ſuis ut iter ſtrenuè capeſſerent; &, obſervato Iernæ tractu, fauces ejuſdem occuparent. Ipſe, cum paucis, quos habuit equitibus, abeuntibus præſidio fuit; ne ab inſequenti hoſtili equitatu conculcarentur. Et ſanè, hoſtes ferociter invectos tam fortiter excepit, ut cæſis aliis, & aliis deturbatis, eos ad ſuos repulerit: quoad pedites ſex milliaria emenſi, anguſtias Iernæ obtinuerunt. Et illi quidem irrito conatu ſemet receperunt. Montisroſanus verò, illâ nocte ad lacum Iernæ conſedit XIV. Kal. Maii. Poſtridiè Balwidriam pervenit. Ubi Aboinius Comes ad eum accurrit, qui cum paucis Carleolo elapſus, & famâ, rerum à Montisroſano geſtarum, excitatis, ſerò in patriam redierat.

Balwidirâ profecti, ad lacum Katrinettæ dictum, penetraverant; cum nunciatum fuit Urræum validas in ſeptentrione copias contraxiſſe, & Gordonio imminere: adeoque periculum eſſe, ne vir militaris, & impiger, & manu promptus, egregium adoleſcentem opprimeret. Montisroſanus itaque Urræo maturè occurrendum cenſuit; tam ut inſtanti periculo, amiciſſimum virum eriperet; quàm ut hoſtiles copias diſtractas ſeorſim

ſim carperet, & vires infringeret paulatim, quibus unitis imparem ſe fore, probè noverat. Longis ergo, & perpetuis itineribus, Balwidriâ, lacuque viginti & quatuor milliarium, unde Taus erumpit, Atholiâ, Anguſiâque peragratâ, ſuperatoque Grampio, per tractum Glenmuk dictum, ad intima Marriæ pervenit. Gordonium in illis locis, cum peditibus mille, & ducentis equitibus ſibi adjunxit: & confeſtim ad Spæam profectus, hoſtem ultro depoſcebat. Nec jam ſupra ſex milliaria aberat, quem Urræus nondum Grampium transmiſiſſe putabat. Enimvero, labore improbo, & mirâ celeritate, ipſam famam prævenerat. Urræus, ne vel invitus ad dimicandum cogeretur, priuſquam copias validiſſimas, & frequentes auxiliarios ſibi adjungeret, Spæam feſtinus tranſmittit. Et quia ſuorum omnium conventum ad Innerneſſum indixerat, Elginum contendit. Nec lentè eum Elginum inſequutus eſt Montisroſanus. Ille, inde Foreſſiam impigrè petiit; Nec ſegniùs Foreſſiam uſque inſequutus, & aſſequutus eſt Montisroſanus: & tam pertinaciter, veſtigiis ejus ad quatuor & decem milliaria inſtitit, ut ingruentis jam noctis umbrâ tectus, ægrè tamen Innerneſſum obtinuerit.

Poſtri-

Postridiè Montisrosanus apud vicum, cui Aldernæ nomen, castra locavit. Urræus verò, non secùs quàm speraverat, Seafordium, Suderlandiumque Comites, Fraseriorum gentem, plerosque etiam ex Moravia, & Catenesia, viciniſque locis armatos confluxisse repperit. Quibus, cum veteranos ex oppidi præsidiariis addidisset: rectà in Montisrosanum duxit. Peditum quidem tribus millibus & quingentis, equitibus verò quadringentis imperitabat. Montisrosanus (qui non supra mille, & quingentos pedites, equites verò, ducentos & quinquaginta sub signis habuit) recipere sese, quàm maximè desiderabat. Atqui verò non modò Urræus tam acriter urgebat, ut vix ullus supereſſet receptui locus: Sed & Baileus ipse, cum australi exercitu, eòque, quoad equitatum, longè validiore, Grampium hactenus longè à tergo reliquerat, & ad Spæam magnâ celeritate contendebat. Quid ergo ageret Montisrosanus? Omnino vel cum Urræo, acie decernendum fuit; vel à coeuntibus hostium copiis circumvento longè gravius subeundum discrimen. Belli ergo præsentem aleam experiri statuit; eventum numini committere: & opportunitatem loci sequutus, inibi hostem opperiri.

Oppidulum in eminentiori loco ſitum, convallem vicinam operiebat. Et colliculi à tergo ſupereminentes, oculorum aſpectum adimebant, niſi quàm propiſſimè aſtantium. In iſtam convallem copias ſuas educit, hoſtibus minimè ſpectandas. Ante urbem, paucos quidem, ſed expertos, promptoſque pedites cum tormentis aggeribus fortè congeſtis tectos, collocat. Dextrum cornu Alexandro Makdonaldo cum quadringentis peditibus committit: eoſque in locis, aggeribus foſſiſque fortuitis, arbuſtis inſuper, ſaxisque impeditis ſiſtit. Mandatque ut ſe incolumes, ad omnem eventum conſervarent, nec deſererent ſtationem, naturâ loci munitiſſimam, ab omni, non tantùm equitatu, ſed & pedeſtribus copiis ſecuri. Simulque optimo conſilio, addidit maximè conſpicuum illud vexillum Regium, quod unicum præferre ſolitus erat: ſic fore ratus, ut hoſtes, eo conſpecto, potiores copias in illud cornu immitterent, propter locorum aſperitatem planè inutiles; quoad ipſe rei benè gerendæ occaſionem in ſiniſtro captaret. Et in eum finem, reliquos omnes in adverſum transferens, equites Gordonio, pedites ſibi ducendos aſſumpſit. Medii agminis (cum reverè, nullum eſſet) ſpeciem

ciem exhibebant, qui ante urbem aggeribus tecti & muniti erant. De ſubſidiis verò, in ea paucitate, ne cogitandum quidem fuit.

Hoſtes (quod prudentiſſimè Montisroſanus divinaverat) ubi primùm vexillum Regium conſpexêre, potiſſimam equitatus partem, cum veteranis, in quibus præcipuum eorum robur ſitum erat, illuc dirigunt. Iamque hoſtium primi ante urbem, & in dextro cornu dimicabant; & ſuis fatiſcentibus ſubinde alios recenteſque ſubſtituebant; quod Montisroſano, pro exiguo militum numero non licuit. Statuit ergo cum ſuis omnibus, in ſiniſtro conſtitutis, in hoſtem cum impetu ſemel, ſimulque irruere. Hæc verò cogitanti, nuncius, quem ille virum fidum, & gravem noverat, ſubmiſsâ voce, indicat, Makdonaldum cum ſuis in dextro cornu fugatos eſſe. Ille præſenti animo, milites præveniendos cenſuit; ne adversâ famâ perculſi animum deſponderent. Atque illico Gordonium compellans exclamat: Nos verò, mi Gordoni quid ceſſamus? Makdonaldus noſter ad dexteram hoſtes fuſos, fugatoſque trucidat. Noſne ſegnes ſpectatores, illi omnem victoriæ gloriam permittemus? Et ſimul his aciem in hoſtes immittit.

Gordoniorum impetum, Urræi equites non diu ſuſtinuêre: ſed in gyrum acti, & ad fugam converſi, nuda & aperta ſuorum latera illis tradiderunt. Pedites quamvis ab equitibus deſerti; cum & numero, & armorum genere longè ſuperiores eſſent, fortiter Montisroſano reſtiterunt, quamdiu eminùs agebatur. Verùm ille eos tandem comminùs aggreſſus eò adegit, ut abjectis armis, inutili fugâ ſibi fruſtra conſuluerint. At ille haud immemor eorum, quæ à fidiſſimo nuncio acceperat, cum promptiſſimis quibuſdam eum conſequentibus, ad dextrum cornu converſus, rem longè aliter quàm in ſiniſtro ſe habere comperit.

Makdonaldus enim, vir fortis, ſed manu, quàm conſilio promptior, in acie præfervidus, & uſque ad temeritatem audax: inſultantibus hoſtibus, & convitiis eum laceſcentibus, ſeſe inter aggeres, & arbuſta detineri dedignatus, extra ſtationem munitiſſimam (contrà quàm mandatum illi fuerat) ſe cum ſuis ultrò objecit. Nec impunè quidem; hoſtes enim cum & equitatu, & multitudine præpollerent, & plerique etiam veterani eſſent; milites ejus turbatos, trepidoſque repulerunt. Et ſanè niſi maturè eos ad vicinum clauſtrum reduxiſſet, omnes omnino, cum

cum vexillo Regio periiſſent. Ille tamen temeritatis ſuæ errorem, in reducendis militibus, mirâ ſortitudine penſavit. Omnium enim noviſſimus, ſe recepit: & corpus, ingenti ſcuto, quod lævâ geſtabat, tegens, confertis hoſtibus ſe oppoſuit. Erant, qui in eum proximi inciderunt, haſtati, qui multiplici ictu, cuſpides ejus ſcuto infixerant: quas ille ternas ſimul, quaternaſve, enſe quem dextra regebat, amputabat. Verùm & qui eum in clauſtro oppugnabant, ſupervenientem cum ſubſidio Montisroſanum, & ſuos in ſiniſtro fugatos conſpicati; equites quidem in fugam ſe præcipitarunt: pedites verò, quorum plerique ex Hibernia veterani erant, obſtinatis animis pugnantes, ſinguli fermè in ſuos ſtationibus occubuêre. Victores ad aliquot milliaria fugientes inſequuti; cæſa ſunt hoſtium ad tria millia peditum, in quibus veterani fortiſſimè pugnaverant: Equites ferè omnes, maturâ magis, quàm decorâ fugâ, elapſi ſunt.

Non tamen Urræus ipſe, cum aliis promptiſſimis, qui noviſſimi campo exceſſerunt, effugiſſent inſequentium manus: niſi Aboinius Comes, neſcio quâ incuriâ, ſigna quædam & vexilla victis & fugientibus direpta in ſublime ex-

tuliſſet. Cumque hoſtes ultra non inſequeretur, in ſuos converſus, faciem hoſtilem præ ſe tulit, & novæ pugnæ ſpeciem præbuit. Quo errore, tantiſper impliciti fuêre, quoad equitatus hoſtilis, turbatis quàmvis ordinibus, fuſus in diverticula ut cuique nota & obvia fuerunt, ſe recepit. Pauci cum Urræo ante diem poſterum in Innerneſſum pervenêre. In hoſtibus cæſis inſigniores erant, Campbellus Laverius veteranorum tribunus, Iohannes, Gedeonque Moravii equites, aliique viri fortes, forſan & lachrimabiles, niſi laudandam aliàs fortitudinem, infami perduellionis crimine polluiſſent: nec in hoc ipſo, judicium ſuum, ſed multitudinis impetum, aut patronorum ambitum & avaritiam ſequuti. Deſideravit Montisroſanus, ex eis qui ſecum in ſiniſtro dimicarunt, unicum tantùm, eumque militem gregarium: ex altero verò ubi Makdonaldus imperabat, ejuſdem ordinis quatuor & decem. Longe verò plurimos vulneratos in tuto collocandos, & medicis tradendos unicè curavit. Captivos deinde comiter & blandè ſolatus, pœnitentibus libertatem aut militiam promiſit, præſtititque: obſtinatos in rebellione, in alias atque alias cuſtodias diſtribuit. In illa Aldernenſi pugna,

pugna, Naperii adoleſcentis virtus magnoperè enituit. Qui Naperii Reguli de Marchiſtona filius, Montisroſani verò ex ſorore natus, non adeo pridem, clam patre, & conjuge, Edinburgo ad avunculum advolaverat: & in iſto prælio tirocinii egregium edidit ſpecimen; & nobiliſſimæ indolis firmiſſima rudimenta depoſuit. Quapropter fœderatorum principes patrem fermè ſeptuagenarium (quo præſtantiorem virum, hoc ſæculo Scotia nullum aluit) conjugem etiam Marriæ Comitis filiam, Sterlinium de Keire, levirum, præſtantiſſimum etiam virum, familiæ ſuæ principem, & qui multa, & gravia pro charitate ſua in Regem paſſus eſt, cum duabus ſororibus, alterâ quidem lectiſſimâ fœminâ Sterlinii conjuge, alterâ verò virgine, in profundum carcerem conjiciunt: poſtmodùm tamen ab ipſo Naperio, avunculi auſpiciis liberandos. Pugnatum fuit ad Aldernam VII. Id. Maii an. 1645.

CAP. XI.

MOntisroſanus, paucis diebus militi ad curanda corpora permiſſis, Elginum Provinciæ caput, eſt profectus: ubi in gratiam vulneratorum diutiùs ſe con-

continuit; quia tam medici, quam idonea pharmaca, quæ in campis ſæpiuſculè deſiderabantur, prompta erant, & ad manum parata. Poſteà trajecto Spæâ, Keithum, inde Frendractum, & inde Strathbogiam pervenit. Hîc illi Bailæus (cui & Urræus, cum equitatu Aldernanæ cladi ſuperſtite, ſe adjunxerat) occurrit, laceſſitque ad pugnam. Montisroſanus ſuos, immenſis laboribus fractos, numero etiam & equitatu longè inferiores, quamvis pugnandi avidos, continuit, quoad copias novo delectu, & auxiliis reficeret. Quapropter ſtationes, quas commodiſſimas elegerat, ad veſperam propugnare contentus, noctu Balveniam proficiſitur; quò & hoſtes illum inſequuntur. At ille Balveniâ tractum Dauniæ, & Spææ ſequutus, in Badenothiam adſcendit. Hoſtes verò adverſam amnis ripam tenentes, eum denuo ad pugnam laceſſunt: ſed fruſtra. Ille enim à juſto prælio ſedulò cavebat; frequenti tamen velitatione, & nocturnis præſertim incurſionibus, in tantum vires, animoſque infregit; ut qui non ita pridem tam ſuperbè inſultaſſent, duces, juxta ac milites trepidi, & turbatis ordinibus, noctu ſe Innerneſſum receperint, nemine eos inſequente. Montisroſanus ſe ab hoc hoſte libertatum non

non ægrè tulit, hac præſertim de causâ: Lindeſius Comes, fæderatorum poſt Argathelium coryphæus, ejuſque æmulus, utpotè Hammiltonii Ducis levir, Argathelio vel curam, vel animum, utcunque, ſemper fortunam defuiſſe prædicabat. Adeoque imperium exercitus qui recens erat coactus in ſe ſuſcipiebat; quaſi rem, melioribus auſpiciis, gerendam aggrederetur. Iamque in Anguſiam cum copiis transmiſerat, Bailæo quaſi ſubſidio futurus: & ſi quid contra vota illi accideret, paratus tamen Montisroſanum tranſitu Forthæ arcere. Multum enim ſemper metuebant ne aliquando ille cis Fortham, propiùſque Edinburgum, bellum transferret. Lindeſium ergo, hactenus in Anguſia ad arcem, quam Neutillam vocant, conſidentem, tanquam ducem militiæ rudem, militeſque nondum laboribus belli aſſuetos, quàm primùm debellare ſtatuit.

Quo quidem conſilio, Badenothiâ profectus, per edita Marriæ Grampium tranſcendit; & non minùs arduis, quàm longis itineribus ad Arlæi fluminis tractum pervenit, hoſtem ex improviſo aggreſſurus. Quod & factu facile fuit, famam enim adventus ſui, celeritate prævenerat; nec aberat Lindeſius ſupra

ſeptem milliaria: & omnia ad expeditionem parata fuêre. Cum (quâ de causâ incertum) ſeptentrionales ferè omnes clam ſigna deſerunt; & repetitâ, quâ venerant via, ad ſuos ſunt reverſi. Erat in caſtris Gordonius Regulus, nec quiſquam, flagitium illud, majore indignatione deteſtatus eſt: adeo ut eum Montisroſanus ægrè continuerit, quò minùs ultima decerneret in deſertores, qui ſub ejus clientela erant. Non deſunt tamen, qui Huntilęi patris, clancullariis ad Aboinium (qui valetudinis curandæ gratiâ aberat) mandatis ſollicitatos fuiſſe tradant. Angebat enim Huntilæum, hominem ſuperbum & æmulum, proſpera Montisroſani fama: nec ferre planè potuit, intimam, filii ſui primogeniti, cum eo amicitiam. Ut ut ſit, ille inopinato malo perculſus, expeditionem in Lindeſium differre, & præclaram victoriam quaſi è manibus ereptam patienter ferre coactus fuit.

Ad nova ergo conſilia converſus, Nathanêêlem Gordonium, militum tribunum, virum fortem & fidum, qui gratiâ plurimùm apud ſuos valebat, præmiſſum, ipſe inſequutus eſt. Iamque Bailæus, Urreuſque Innerneſſo redierant, & in inferiore Marria, ad Deam amnem caſtra locave-

caverant. Montisroſanus per Schiæ tractum, & edita Marriæ, in intima provinciæ (vulgo Cromarriam) pervenit. Cum verò adhuc edita penetraret, Makdonaldum cum parte copiarum in remotiſſima montana ablegavit; ut copias quæ illic parabantur, quàm celerrimè ad caſtra perduceret. Deinde & ipſum Gordonium Regulum dimiſit, ut pro gratia, & authoritate, quâ in locis illis pollebat, Nathanêêlis delectum augeret, & maturaret. Quod ille quidem impigrè præſtitit, & inter alios, Aboinium fratrem ſecum reduxit. Dum hæc in Cromarria peraguntur, Lindeſius copias in inferiore Marria, cum Bailæo conjungit. Quibus, cum Montisroſanus ſe longè imparem cogitaret (abſentibus Gordonio,& Makdonaldo, cum maxima copiarum parte) ad dirutam arcem de Kargarf ſeceſſit: ne hoſtes in campeſtribus locis deprehenſum, equitum peditumque multitudine obruerent: illic verò montibus vicinus, nihil ſibi ab illis metuebat. Hinc Aboinius, denuo valetudinarius, Strathbogiam ſe conferens; ſub nomine præſidii non contemnendam equitum manum ſecum abduxit: quos Gordonius frater ægrè admodùm poſteà ad ſigna revocavit. Interea Lindeſius mille veteranos

Bailæo ademit; totidemque illi tirones, & rudes ex ſuis attribuit. Et tanquam inſigne aliquid ſuis auſpiciis geſturus, per Merniam in Anguſiam reverſus, hoc unum, tanto conatu præſtitit: Atholiam cum exercitu pervagatus, populatuſque omnem regionem incendio vaſtavit. In hoc Argathelium imitatus, qui primus horrendum illud exemplum ſæviendi in ædes frugeſque hoc ſæculo crudeliter induxit: flammâ, quam ferro ferocior, ubi in agros urbeſque viris vacuas incidiſſet.

Bailæus eâ tempeſtate, ad Bogiam, Huntilæi, & totius ſeptentrionis pulcherrimam arcem expugnandam tendebat: ut, ſi minùs eam in poteſtatem ſuam redigere poſſet, Gordoniorum, qui in vicinia habitabant, agros depopularetur, & flammis abſumeret. Montisroſanus (quamvis abſente cum magna copiarum parte Makdonaldo) Huntilæo, & amicis, quos omnibus officiis, ſibi devincire laborabat, ſubveniendum ratus; illuc properavit. Ubi edoctus Bailæum milites, non omnes quidem, pleroſque tamen novos ducere (veteranorum parte Lindeſio conceſsâ) nihil magis deſiderabat, quàm cum illo quamprimùm manus conſerere: rectàque in eum tetendit. Nec ſupra tria milliaria confecerat, cum premiſſi ab hoſtibus

ſtibus ſpeculatores, ſeſe conſpiciendos exhibuêre. Et ille, expeditos, & locorum peritos præmiſit, qui hoſtium ſitum, geſtum, vireſque explorarent. Hi ſtatim renunciant peditatum in edito colle ad duo milliaria ſubſiſtere: equites verò anguſtiam artam & difficilem, quæ quaſi media inter utrumque exercitum jacebat, occupaſſe, & transgreſſos eſſe. In eos Montisroſanus equites, quos in promptu habebat, cum expeditis quibuſdam ſclopetariis immiſit. Quos illi primò levi velitatione, eminùs excepêre: mox verò, trans anguſtiam (quam tormentariis ſtrenuè muniverant) ſe receperunt. Montisroſanus pedites accerſit, ut hoſtem, ſi quà ſieri poſſet, inde pellant: ſed fruſtra; nox enim inſequuta pugnantes diremit, quam uterque in armis inſomnem egit. Poſtridie Montisroſanus per fecialem, pugnæ facultatem obtulit. Reſpondit verò Bailæus, ſe conditiones pugnæ ab hoſte non accepturum. Ille ergo, qui anguſtiis iſtis hoſtem proturbare, ſinè manifeſto periculo non potuit, ut eum inde aliquando extraheret, Pitlurgum conceſſit. Et inde digreſſus ad Forbeſii Reguli arcem, cui Druminoræ nomen, biduum ſubſtitit. Tandemque hoſtem, derelictis anguſtiis, Strathbogiam

versùs tendere intelligit : & ipse ad Alfordiam vicum cum diluculo iter capessit. Bailæus verò, ubi certam notitiam adeptus fuerat, Makdonaldum cum non minima copiarum parte in Montanis abesse, ultro eum, quasi se subducentem, insequutus est : & circa meridiem in conspectum ejus venit. Montisrosanus in editiore loco advenientem, ut videbatur, hostem operiri statuit. Verùm illo finistrorsum ad tria milliaria declinante ; ipse destinatum iter Alfordiam prosequutus, ibi noctem illam transegit : cum hostes quasi quatuor milliaribus abessent.

Postero demùm die Montisrosanus suos, multo adhuc mane, in procinctu, & ad prælium paratos esse jussit : & in colle qui Alfordiæ imminet, collocavit. Ipsi, cum turma equitum, hostium motum, gestumque observanti ; & vada Donæ amnis, qui Alfordiam præterfluit, scrutanti, nunciatur eos, equites, peditesque, ad vadum quod mille passibus ab Alfordia aberat, properare ; eo animo, ut extremum fugientis agmen opprimerent. Sic enim egregii illi augures in suam perniciem divinabant. Montisrosanus, relictâ illâ equitum turmâ, non procul à vado, cum delectis quibusdam

&

& peritis viris, qui certiora omnia renunciarent; ſolus ad inſtruendam aciem revertitur. Et ante omnia collem illum Alfordenſem occupat, unde hoſtium impetum exciperet, ſi violentiùs inveherentur. A tergo erat locus paluſtris, foſſis, ſtagniſque impeditus, ne ab equitatu circumveniretur; à fronte collis acclivis, aſpectum hoſtium intercipiebat: ut vix primos ordines, oculis percipere potuerint. Necdum omnia ritè ordinaverat, cum equites illi, quos ad vadum reliquerat, præcipiti curſu redeunt, renunciantque hoſtes amnem transgreſſos eſſe. Adeo, ut neutri ampliùs integrum fuerit ſe recipere, niſi cum manifeſto ſuorum periculo. Fama eſt Bailæum, utpotè ducem peritum, & providum, planè invitum ad illud certamen deſcendiſſe: nec niſi Balcariſii Reguli, equitum tribuni, temeritate coactum. Qui ſe cum equitibus quibus imperabat, multùm renitente Bailæo, in illud diſcrimen præcipitaverat, unde incolumis reduci nequibat, niſi cum totius exercitus periculo.

Montisroſanus dexteram alam (quâ validior erat hoſtilis equitatus) Gordonio Regulo ducendam commiſit: eidemque Nathanêêlem, veteranum ducem attri-

tribuit. Siniſtram verò Aboinio Comiti; cui & Wilielmum Rollocum addidit. Mediam aciem fortiſſimis viris Glengario, & Drumondio de Ballâ, juniori: quibus & Georgium Græmum, caſtrorum præfectum, & ipſum militiæ gnarum adjunxit. Subſidiariis, quos collis penitùs operiebat, Naperius ex ſorore natus, imperabat. Et Montisroſanus quidem in edito; hoſtes verò, in convalli, ſtagnis, foſſiſque muniti, ſe aliquamdiu continuêre. Nec enim, vel his in altum eniti; vel illis hoſtes profundis ſtagnis, & paludibus incluſos aggredi, tutum videbatur. Peditum numerus pænè par erat: uterque quaſi duobus millibus præerat: Verùm equitatu ſuperior Bailæus, qui ſexcentos ducebat; Montisroſanus verò ducentos & quinquaginta. Hoc tamen intererat, quòd hoſtes plerique mercenarii erant, ex infima plebe collecti: at qui Regi militabant, generoſi, qui conſcientiæ juſtiſſimæ cauſæ, & gloriæ, gratis, non quęſtui inſerviebant: quibuſque mori magis, quàm vinci decorum. Noverat inſuper Montisroſanus, veteranos pleroſque cum Lindeſio abeſſe: novos verò militari clamore, & clangore tubarum perterritos, vix primo impetu pares fore. Quapropter juſtiſſimæ cauſæ, & virtutis ſuorum

rum fiduciâ, primus ſuos deduxit. Et mox Gordonius in hoſtem ferociter invectus; fortiter ſanè ab eo, ſuorum multitudine freto, exceptus fuit. Iamque conferti, & cohærentes comminùs agebant; nec gradum quiſquam, vel latum unguem promovere, niſi proſtrato hoſte; nec ſe recipere potuit, inſtantibus à tergo ſuis, & veſtigia prementibus. Primique Gordonii, Regulus, tribunuſque, hoſtium non exiguâ ſtrage, ſibi, ſuiſque via fecêre. Et Nathanêêl tribunus, expeditos iſtos ſclopetarios, qui more ſolito, equitibus quaſi inſerti erant, clarâ voce compellat: Agite commilitones, marchinas iſtas, nunc inutiles, projicite; & ſtrictis mucronibus, perduellium equos transfigite, aut ſucciſis deturbate poplitibus. Nec illi ſegniter tribuni mandatis obtemperabant, cum Montisroſanus repente Naperium, cum ſubſidiariis, qui in adverſa collis parte latebant, producit: quorum improviſo adventu, hoſtes territi, fugam corripuerunt. Aboinius, cum ala ſiniſtra ſe continuit: nec, niſi levibus paucorum velitationibus, hoſtes tentavit. Qui cum ſuos ex adverſa parte fuſos, fugatoſque cernerent; integri fermè ſe recepêre. Pedites, ab equitatu deſerti, cum ſeſe pau-

pauliſper obſtinatis animis, & deditionem recuſantibus, oppoſuiſſent; fermè omnes ceciderunt. Equitibus fugientibus, ad ſalutem non parùm profuit Gordonii Reguli caſus: qui, partâ jam victoriâ, acriùs in confertiſſimos invectus, à victis, & fugatis globo transfixus occubuit: & ſuorum omnium ora animoſque in ſe convertens, ab inſequendis hoſtibus detinuit. Quos & Aboinius, fratris caſu perculſus, admodum lentè profequutus eſt.

Deſideravit in hoc prælio Montisroſanus militem gregarium ne unum quidem: ex generoſis verò Culcholium, Miltoniumque, quorum nomina, gentemque, & familiam libenter adſcriberem, ſi mihi certiùs conſtarent, qui pro Patre patriæ, & libertate, & legibus, fortiter pugnantes, occubuêre. Nec ſanè, debitis laudibus privandi ſunt pueri quidam Scoti, Hibernique, vixdum quartum & decimum ætatis annum emenſi; qui poſitis dominorum impedimentis, & conſcenſis caballis, mannuliſque, non tantùm equitum ſpeciem exhibuerunt: ſed & quaſi virtutis dominorum æmuli, ſupra annos vireſque in denſiſſimos hoſtium ordines invecti ſunt. Quorum quidam, ſed pauci, nec impunè illi, cæſi ſunt.

ſunt. Sicque egregiæ indolis, & in tenella ætate, excelſi animi ſpecimen, vel viris imitandum reliquerunt. Verùm Gordonii Reguli caſus, tam altè omnium animis inſedit, ut victi potiùs, quam victoris exercitus ſpeciem præberent. Preſſus primò dolor ſtupidum impoſuit ſilentium: qui, ubi ruptis, quaſi repagulis, erumpere potuit, ecce omnia gemitu, fingultu; ululatu, planctuque plena! Ora deinde lachrimis madentia, ut primùm vocem proferre valuerunt: Deos, homineſque, & fata incuſabant, quæ tanto viro Regem, regnum, ſæculum, ſeque poſteroſque privaſſent. Et victoriæ, prædæque immemores, corpus exanimum intueri, ora manuſque deoſculari, vulnera lachrimis rigare, eximiam demortui etiam formam laudare, & nobilitatem generis, & fortunæ amplitudinem cum indole comparare: & infelicem denique victoriam, quæ tanti conſtiterit, prædicare non deſtiterunt. Et ſanè parum abfuit, quò minùs victorem exercitum immenſus ex hujus viri deſiderio, dolor oppreſſiſſet: niſi Montisroſanus ſoſpes, & incolumis, lugentium animis, oculiſque obverſatus, jacentes erexiſſet. Nec tamen ipſe ſibi imperare potuit, ne acerbo & triſti, unici & chariſſimi

riſſimi amici fato illachrimaretur. Multumque queſtus eſt, gentis ſuæ decus, nobilitatis Scoticanæ ornamentum, & firmiſſimum Regiæ Majeſtatis in ſeptentrione præſidium, virum denique ſibi conjunctiſſimum, in ipſo juventæ flore præmaturo fato ereptum. Interim dolorem ratione, vel tempore leniendum iri confidens, nobiliſſimum corpus medicis condiendum tradi jubet. Quod poſtea Aberdoniam tranſlatum, militari, & magnifico funere extulit. Et in majorum monumento, in cathedrali eccleſia, ſepeliri curavit. Pugnatum fuit ad Alfordiam poſtridie Kal. Quintilis anno 1645.

CAP. XII.

MOntisroſanus, ſub veſperam iſtius diei, quo ad Alfordiam depugnaverat, ad Cluniam arcem profectus, paucas duntaxat horas militi ad reficiendas vires conceſſit. Et cum inde ad Deæ ripam perveniſſet, Aboinium Comitem, qui defuncto fratri ſucceſſerat, in Buchaniam Provinciam, & vicina ablegavit, ut copias novo delectu reſarciret. Plerique enim, qui pugnæ interfue-

fuerant cum montani eſſent, nec procul à ſuis diſſiti, domum cum præda repetiverant. Et quia nondum redierat Makdonaldus, tam hunc quàm illum expectans, ad Cragſtoniam ſtativa habuit. Verùm cum auxiliares tardiùs quàm ſperaverat expediri, & ſpem de eis conceptam fallere perſentiſceret: ipſe ulterioris & intempeſtivæ moræ impatiens, trajecto Deâ, & ſuperato Grampio, in Merniam deſcendit; & ad Fordonium Sacellum(ſede & ſepulchro Divi Palladii olim celeberrimum) conſedit.Simul his Aboinio Comiti (qui Aberdoniam venerat) mandat, ut ſibi cum auxiliariis copiis, quas contraxiſſe dicebatur, in Mernia occurreret. Paruit quidem ille, ſed copias admodùm exiguas ſecum perduxit. Eundem igitur cum ſuis remiſit in ſeptentrionem; ut quantas poſſet, contraheret copias: & quàm celerrimè ad caſtra perduceret. Ipſe per Anguſiam tendens,obvium habuit Patricium conſanguineum, cum Atholiis ſuis, ad omnia ſub ejus imperio paratis: & Makdonaldum cum egregia montanorum manu. Cum illo erat Maklenius, gentis ſuæ princeps, vir fortis,& Regi in primis fidus,qui ex amicis clientibuſque delectos, plùs minùs ſeptingentos pedites adduxit. Itidem &

Mak-

Makranaldorum dux, vir in montanis clarus, & qui Regi impenſiùs favebat; & hic ſupra quingentos ducebat, Makgregorii inſuper, & Maknabii, nullis fortitudine & laborum patientiâ ſecundi, ſuos duces, & gentis principes, more patrio, ſequebantur: quorum certum inire numerum mihi non eſt facile. Glengarius, vir fortitudinis nomine, & fidei erga Regem, & obſequii charitatiſque in ipſum Montisroſanum, nunquam ſatis laudandus: cum ipſe fermè poſt expeditionem in Argatheliam, eum nunquam dereliquiſſet, per avunculos alioſque miniſtros ſuos accerſiverat, numero quaſi quingentos. Ex edito Marriæ etiam, Fercharſonii non pauci, egregii viri, & ſpectatæ virtutis. Necnon ex Badenothia pauci quidem, ſed ſtrenui, manuque prompti.

Montisroſanus illis copiis auctus, & ſtipatus, in intima Regni penetrare ſtatuit: tam ut hoſtium delectum in Fifana, & Cis-forthana Regione perturbaret: quàm ut Ordinum conventum dirimeret, à fœderatis, non ſinè pompa, & jactatione Pertham indictum. Nec ſanè quidquàm in mora fuit, præter equitatus inopiam, quâ ſemper laboraverat, adeo ut in planiciem deſcendere vix unquam, aut

aut ſanè rarò illi tutum fuerit. Quandoquidem tamen Aboinium, Arlæumque cum non aſpernanda equitum manu, propediem affuturos ſperabat; ad Duncaledoniam Taum trajecit: & Amondiæ propinquus, non minimo terrore hoſtes perculſit, qui Pertham tenebant. Exinde verò propior factus, in ſilva Methvenia caſtra locavit.

Hoſtiles copiæ pedeſtres (præter urbis præſidiarios) cis Iernam caſtrametabantur. Equites oppidi conventuſque cuſtodiæ deſtinati, cum Montisroſani ſpeculatores conſpexiſſent, trepidi & precipites reverſi, renunciant adeſſe illum, & portis imminere: nec dubitandum eſſe, quin admotis ſcalis, aggredi, & oppugnare conſtituat. Proceribus inſuper, omnique conventui ſuadere, ut maturâ fugâ, ſibi conſulant: cum nihilominùs Montisroſanus vix centum equites, & illi quadringentos haberent. Poſtridie verò, ut injectum terrorem magis magiſque augeret, cum eiſdem equitibus, & totidem expeditis ſclopetariis jumentis ſarcinariis inſidentibus, ipſe urbi appropinquavit; ſuoſque ita conſpiciendos oſtendit, ut non exigui equitatus ſpeciem præ ſe ferrent. Et quoniam hoſtes intra portas ſe continebant, illicò Duplinum verſùs,

ſùs, citeriorem ripam Iernæ, totumque illum tractum perluſtravit: acſi equitatu omnem illam regionem ſub imperio continere poſſet. Et ſanè hoc effecit, ut hoſtes eum non minùs equeſtribus, quàm pedeſtribus copiis præpotentem conjectarent. Illi ergo quotquot poſſunt, milites undique contrahunt: quos, ſi trans Fortham tendere videretur, Montisroſano objicerent. Verùm, cum nec illi in planiciem deſcendere tutum fuerit, plures dies in ſtationibus ſe continuerunt: illi auxiliarios à regione Fifana, Cisforthana, & ab occidente expectantes; Montisroſanus verò à ſeptentrione. Et quia Aboinium cum ſuis nimis lentum, impatienter fermè præſtolabatur, miſit qui ſtimulos illi adderent, priuſquàm rei benè gerendæ opportunitatem deperderent. Queſtus etiam eſt, ſed leni & blando ſermone, tanquam apud fidiſſimum amicum, morâ, & cunctatione ejus factum eſſe, ut præclariſſima victoria, quâ perduelles debellari potuiſſe videbantur, de manibus dilaberetur. Quam tamen jacturam, celeritate ejus, & induſtriâ penſari poſſe nullus dubitaret.

Hoſtes, ubi eum nihil quàm inanem equitatus umbram præbere, reſciverunt; undique comportatis auxiliis, & jam pedeſtri-

deſtribus etiam copiis longè ſuperiores, ultrò eum ad pugnam laceſſere, & invitum cogere ſtatuerunt. Quapropter ille in vicinos montes paululùm ſecedere decrevit: quo hoſtem nunquam ſequuturum, aut ſi auderet, cum ſuo damno facturum probè noverat. Appropinquante ergo, cum omni exercitu ad Methveniam hoſte, impedimenta clam in edita feſtinare jubet. Ipſe quaſi initurus prælium, aciem diſponit, aditus firmiſſimis præſidiis communit, equites ante aciem producit. Nec ſanè hoſtis aliud expectabat, quàm pugnæ aleam ſubiturum, quod ſe facturum ſimulabat, quoad impedimenta eò provecta fuiſſent, ut in tuto eſſe viderentur. Quod ubi factum fuit, exercitum uno agmine, & confertis ordinibus, iter ſtrenuè capeſſere juſſit. Equitibus, quos habuit, & expeditiſſimis quibuſdam ſclopetariis curæ datum fuit, ut extremum agmen clauderent, tegerentque ab hoſtili equitatu. Hoſtis, inſtanti ut putabat, pugnæ intentus, ex improviſo abeuntes conſpicatus, acriter primò inſequutus eſt; ſed fruſtra. Illi enim, occupatis in itinere anguſtiis eos facilè reppulerunt: & abſque vel unius militis jactura, ſe in edita, & ardua, adeoque hoſtili equitatui inacceſſa

recepêre; à pedite, ne eos unquam aggrederetur, ſecuri. Memorabile eſt, quòd cum ad anguſtias Montisroſani equites appropinquarent; hoſteſque ulteriùs inſequendi facultatem omnem ſibi ademptam ſatis ſcirent: ne tanto conatu nihil planè feciſſe viderentur, trecentos equites, fortiſſimos ex ſuis, & promptiſſimos, in abeuntes cum ingenti clamore, & convitiis immiſerunt. Iſtos ubi Montisroſanus conſpexit, viginti duntaxat expeditos, ex montanis venatui aſſuetis, & ſclopetariæ artis admodum peritis, accerſitos, jubet eorum inſolentiam coercere. Et illi primò, incurvo corpore, & tectis machinis, diſcurſantes, deſtinatis ictibus, inſequentium promptiſſimos conficiunt. Qui cum inter ſuos melioris notæ eſſent, reliqui eorum caſu cautiores facti, recipere ſeſe contenti fuerunt. Verùm egregii illi venatores, primo ſucceſſu elati, ubi hoſtes pertui batos vidêre, in apertam planiciem evaſerunt: & ultro invecti ſunt in equites. Qui, non aliter quàm cervi damæve à venaticis agitati, impreſſis vehementiùs calcaribus, præcipiti curſu ad ſuos fugerunt.

Hoſtes, reverſi in eodem loco unde Montisroſanus erat digreſſus, in Methvenia ſilva, locum caſtris delegerunt.

Cum

Cum nihil expeditione illâ, memoriâ dignum geſſiſſent, præterquam quòd virilem impetum ſuſtinere non valentes, in muliebrem ſexum deſævierunt. Quotquot enim Hibernorum, montanorumque conjuges deprehendêre, quæ charitate conjugali maritos ſequebantur, fædo nimis, & pudendo exemplo excarnificarunt. Montisroſanus ad Duncaledoniam minorem ſtavia habuit; tam quia ſolum equitibus impeditum & impervium: quàm quia ad excipiendos auxiliarios, quos indies à ſeptentrione cum Aboinio expectabat, locus erat commodiſſimus. Quo tempore infeſti exercitus, non procul diſſiti, alii alios obſervabant magis, quàm laceſſebant.

Tandem verò Aboinius, cum Nathanêêle tribuno ſuos à ſeptentrione Duncaledoniam perduxit; numero quidem infra ſpem quam de ſe fecerant: robore tamen & verâ virtute, longè ſupra numerum. Ducenti duntaxat equites erant, cum centum & viginti ſclopetariis, qui & jumentis ſarcinariis aut mannulis impoſiti erant: pedites verò alii nulli. Simul his Arlæus Comes, cum Davide filio, equites octoginta adduxit: pleroſque ex ipſa nobili Ogilviorum familia oriundos. In quibus Alexander, Iohan-

nis equitis de Innercarita primogenitus, non modò eximiâ corporis formâ, & majorum imaginibus; ſed & rerum in ea ætate, fortiter & feliciter geſtarum gloriâ eminebat. His ergò copiis auctus Montisroſanus, nec tempus ampliùs terendum ratus, rectà in hoſtem ducit. Ut verò ad Amondiam venit, tentandos primò cenſuit, & penitùs explorandum, an vera eſſent, quæ incerta ad eum detulerat fama: pleroſque nimirùm auxiliarios deſeruiſſe illorum caſtra, & ſe recepiſſe ad ſuos. Peditibus ergo ad curanda corpora dimiſſis, ante veſperam, non procul ſeſe cum equitatu conſpiciendum exhibuit: quo illi ſpectaculo, attoniti, in caſtris ſe continuêre. Poſtridie, cum ſub diluculo, ſpeculabundus obequitaret Montisroſanus; hoſtes trepidos nocte intempeſtâ, Methveniâ profectos nunciatur: & turbatis ordinibus, Iernam ponte trajeciſſe. Nec ille cunctatus, ſuos ad iter accingit: & ad ſex milliaria ſupra pontem lapideum, amne trajecto, in Iernæ tractu noctem illam tranſegit.

CAP. XIII.

FIſa eſt provincia Scotiæ populoſiſſima, opulentiſſima, & frequentioribus

bus urbibus, pagis, vicis habitata. Incolæ minùs bellicosi: mercatores, tabernarii, nautæ, agricolæ. Interim novis superstitionibus addictissimi, qui tam procerum exemplo,& authoritate; quàm seditiosis prædicantium orationibus, fascinati, se jam omnes fermè fæderatis mancipaverant. Provincia ipsa peninsula est: ad meridiem æstuario Forthæ, ad septentrionem Tao jam ingentium navium capaci, ad orientem Oceano cohibetur. Nullus, nisi ex occidente, aditus terrestris: in cujus faucibus uterque exercitus hærebat. Tota provincia tumultuabatur; aliis (egregiis præsertim istis oratoribus anathemata minitantibus) omnes, cujusvis ordinis, & ætatis, ad arma concitantibus,& cogentibus; aliis confluentibus frequenter; aliis huc, illucque discursantibus, ut sese occultarent: prout quisque superstitione, fiducià, metuve agebatur. Montisrosanus hostes aggredi, & rem prælio decernere vehementer desiderabat: priusquàm novo ex Fifanis delectu vires eorum augescerent: sed frustra. Illi enim in solo tam difficili, & artis anguſtiis se communiverant, ut nullâ ratione, ad eos penetrare, vel inde elicere potuerit. Cum ergo pugnæ copiam semel, iterumque feciſſet,

in intima provinciæ penetrare ſtatuit, Kinroſſiamque petiit, tam ut provincialium delectum impediret; quàm ut hoſtes aliquando ex iſtis anguſtiis extraheret; quò ſuis in provincia periclitantibus opitularentur. Illi ne extremum abeuntium agmen ſeriò tentare auſi, diverſo itinere, Iernæ primò, & mox Tai ripam ſequuti, ad orientalia provinciæ feſtinârunt. Montisroſanus in itinere Nathanêêlem Gordonium, & Wilielmum Rollocum cum exigua equitum manu præmiſit. Hi (commilitonibus undique obequitantibus,ut omnia accuratiùs perluſtrarent) decem duntaxat ſecum detinuêre. Ex improviſo autem in ducentos hoſtes, quorum non pauci etiam equites, inciderunt: qui milites in illis locis conſcribebant. Cumque receptui locus nullus eſſet, duodeni, ducentos aggreſſi, in fugam eos præcipitarunt: & quibuſdam cæſis, alios captivos abduxêre.

Montisroſanus ſub veſperam illius diei Kinroſſiam pervenit: & Fifanos à Rege quàm maximè alienatos,& fæderatorum ſtudioſiſſimos, & ſuperſtitione inſuper adſtrictos, frequentes ad arma convolaſſe non dubitabat. Nec cum tanta equitum peditumque multitudine, temerè con-

congrediendum ratus, Fortham transmittere decrevit: idque hoc consilio, ut Fifanos, quos extra fines suos non nisi coactos castra hostium sequi conjectabat, longis itineribus fatigatos, sine pugna debellaret. Plerosque enim, in officinis, tabernis, navigiisque natos, aut educatos, militari labori impares, statim fatiscere, & succumbere augurabatur. Insuper conjurati proceres (postquam bellum ad Fortham usque translatum attoniti viderunt) in partibus Regni limitaneis, & ad mare occiduum spectantibus, milites, majori quàm unquam contentione, conscribebant. Inter quos Lanricensis, Cassilius, Eglingtoniusque Comites eminebant. Quorum delectum impedire, aut ipsos ad partes pertrahere satagebat Montisrosanus, priusquàm Bailæo, & Fifanis se adjungerent. Kinrossiâ ergo, Sterlinum versùs profectus, ad tria ab urbe milliaria, eâ nocte subsistit. Postridie, ubi pedites præmisisset, ipse cum equitatu lentè subsequebatur; quia hostem vestigia sua premere putabat.

Nec fefellit eum conjectura; enimverò quos post se reliquerat, exploratores renunciant; Bailæum cum longè potentissimo exercitu, haud procul abesse. Et illicò premissi hostium speculatores in

conſpectum veniunt: quorum unum incautè progreſſum, Montisroſani equites captum ad eum pertrahunt. Iſte interrogatus, liberè fidenterque reſpondit, exiſtimare ſe Bailæo, & ſuis in animo eſſe, totâ illâ nocte in itinere perſiſtere, ut cum quàmprimùm ad pugnam adigerent, priuſquàm Fifanos dimitterent: quos hactenus laſſatos, vix cogi poſſe arbitraretur, ut tranſmitterent Fortham; ſatis enim illis eſſe quod hoſtis ipſorum finibus exceſſerit. Montisroſanus igitur, ut Fortham protinùs transmitteret, ſuos ad iter ſtrenuè capeſſendum hortatus, Sterlinum oppidum, arcemque Regiam munitiſſimam, (quæ valido hoſtium præſidio tenebatur) ex adverſo prætergreſſus; amnem vado, ad quatuor paſſuum millia, ſupra urbem, illâ ipsâ nocte, trajecit. Illuceſcente verò die poſtero, ad ſex milliaria Sterlino pauliſper ſubſtitit; ubi nunciatum eſt hoſtes ſuperiori nocte Fortham non transmiſiſſe: verùm ad tria milliaria Sterlino trans amnem pernoctaſſe. At ille deſtinatum iter proſequutus, in fatali loco, agro nimirùm Kilſythino caſtris locum delegit. Milites verò corpora curare jubet, paratos tamen ad pugnam, expeditoſque ad iter, pro ut res poſtularet. Hoſtes interim faciliori lon-

gè

gè viâ, & majori compendio, ad Sterlinum Fortham ponte transmittunt; & ſub veſperam ad tria milliaria à Kilſytha caſtra metantur.

Intereà Lanricenſis Comes Hamiltonii Ducis frater, in tractu Glottæ, & locis vicinis, ex Hamiltoniorum amicis, & clientibus, pedites mille, cum quingentis equitibus coëgerat: nec Kilſythâ aberat, ſupra duodecem milliaria. Caſſilius verò, Eglintonius, Glencarniuſque Comites, aliique conjurati proceres occidentis incolas ad eandem impiam militiam concitabant: & illi quò magis hactenùs à belli incommodis immunes fuerant, eò ad arma rapienda erant proniores. Quibus ritè penſitatis, Montisroſanus præſentes cum Bailæo copias omninò debellandas cenſuit. Quamvis enim numero ſuperiores eſſent, longè tamen majus difficilliuſque certamen immineret, ſi Lanricenſi, cæteriſque unitis, congrediendum foret. Atqui verò, vel hoc prorſùs faciendum fuit; vel irrito labore, & cum jactura famæ, quam tot victoriis acquiſiverat, ad montana redeundum. Hoſtes verò, multitudine ſuorum freti, & feroces, Montisroſanum ſuperiorum dierum itinera præcipitem confeciſſe arbitrabantur: & Fortham, non conſilio,

ſed metu transmiſiſſe; adeo ut vel in ſolo, ſtationibuſque (quas ſibi commodiſſimas elegerat) invadendum cenſuerint. Hocque unum, vanâ ſpe elati, maximoperè præcavebant, ne locum receptui permitterent; aut abeunti, ad montana reditus pateret. Non defuere tamen qui dicerent, Bailæum ipſum pugna abſtinendum cenſuiſſe; verùm Lindeſii Comitis præſertim, aliorumque procerum, qui in caſtris agebant, authoritate, & ſuffragiis victum, invitum fermè, & reluctantem eduxiſſe copias, & aciem pro tempore ordinaſſe. Ut ut ſit, illuceſcente ſtatim die, rectà illi in Montisroſanum duxerunt. Quod cum ille cerneret, accidiſſe ait. quod maximè expetebat; ut militum paucitatem locorum opportunitate penſaret: priorque ſtationes occupare feſtinat. Suis inſuper omnibus, equiti juxta ac pediti imperat, ut poſitis moleſtioribus veſtibus, & ſolis induſiis ſupernè amicti, & in albis emicantes, hoſtibus inſultarent. Quod cum illi alacres lætique feciſſent; expediti, paratique ſtabant, certi aut vincere, aut mori.

In campo pugnæ deſtinato tuguria quædam erant, hortulique ruſtici; in quibus Montisroſanus paucos præſidiarios commodè locaverat. Et primus hoſtium

hoſtium conatus fuit, iſtos inde proturbare; ſed fruſtra: ferociter enim aggreſſi, & non minùs fortiter excepti; ubi de primo impetu paululùm remittere viſi ſunt, propugnatores eos pellunt, fugant cæduntque impunè. Quo velut omine, elati montanorum animi; qui propiùs aberant, ne expectato quidem imperio, in collem, univerſis hoſtium copiis obnoxium temerè ſe præcipitarunt. Montisroſanus, licèt, intempeſtivâ ſuorum fiduciâ commotior: non tamen prorſùs deſtituendos judicavit. Nec ſanè dictu facile eſt, hoſtiumne ignaviâ, an ſubſidii celeritate, eorum incolumitati magis conſultum fuerit. Montisroſanus, cum quingentis equitibus, peditum quatuor millia, & quadringentos ducebat; quorum mille, aut etiam plures ſuâ culpâ, hoſtibus ſeſe expoſuerant: qui cum peditum millibus ſex, & octingentis equitibus occurrebant. Verùm qui ex extremo hoſtium agmine erant, ſatis tardè procedebant, eorumque adventum, dum primi ſegniter præſtolantur; facultatem fecerunt Montisroſano, maturum periclitantibus ſuis adferendi auxilium. Tandem tamen tres equitum turmas, quos peditum duo millia ſequebantur, in temerarios iſtos, & fermè deperditos expe-

diunt. Quos conſpicatus Montisroſanus Arlæum Comitem (cum alii munus illud nimis indecorè detrectarent) in hunc modum compellavit. Vides inquit nobiliſſimè Comes, noſtros iſtos ſuâ temeritate in ultimum diſcrimen adductos, & illicò ab hoſtili equitatu opprimendos, niſi maturè eis ſubveniamus. In te verò omnium oculi animique intenti ſunt, te unum tantâ laude dignum judicant, qui pulſis hoſtibus, commilitones protegas. Et ut, quod juvenili eorum audaciâ peccatum eſt; maturâ tuâ, adultâque virtute corrigatur. Et ille rem, quamvis perdifficilem, lubentiſſimè in ſe recepit; turmâque ſuorum ſtipatus (in qua Iohannes Ogilvius Baldevius, in Suecia olim militum tribunus, vir fortis, juxta ac peritus eminebat) rectà in hoſtes duxit. Et illi quidem in Ogilvios invecti, acriter pauliſper decertavêre: tandem tamen virtuti eorum impares, terga dederunt. Quos Ogilvii tam pertinaciter inſequuti ſunt, ut in pedites ſuos præcipites egerint: eoſdemque quaſi uno impetu turbatis ordinibus, proculcaverint. Et hoc egregio Arlæi, Ogilviorumque exemplo, Montisroſani milites magis magiſque animati, detineri ampliùs non potuêre; quò minùs, ingenti ſublato clamore,

more, quaſi victoriam hactenus adepti, in hoſtem irruerent. Nec ſanè perduellium equites, eorum congreſſum diu ſuſtinuerunt; ſed deſerto pedite, in profuſiſſimam fugam ſe conjecêre: aut pedites deſerti multùm reſtiterunt; verùm abjectis armis, inutili fugâ ſalutem ſibi quæſivêre. Enimverò victores, eos ad quatuor & decem milliaria perſecuti trucidarunt. Adeo ut peditum, qui iſti prælio interfuerunt, vix centum evaſiſſe credantur incolumes. Et ne equites quidem, impunè elapſi ſunt, quorum alii cæſi, capti alii, alii aliò fuſi, ſparſique ſe receperunt. Impedimenta, arma, ſpolia victoribus ceſsêre; qui ex ſuis, duntaxat ſex deſiderarunt: quorum tres Ogilvii erant, viri fortes, & generoſi, qui ſtrenuè pugnantes, ad præclaram victoriam, ſanguine ſuo, viam conſignarunt. Conjurati proceres, qui frequentes iſti prælio interfuerant, alii Sterlinum oppidum, arcemque munitiſſimam, maturâ fugâ, & equorum pernicitate obtinuerunt. Alii ad Forthæ æſtuarium elapſi, naves anchoris alligatas, haud procul à littore conſcenderunt. In his Argathelius, jam tertio cymbam nactus, evaſit in navem: nec tamen ſe in tuto eſſe judicavit, quoad ſublatis anchoris, procul

terrâ, in alto ſe conſpexit. In captivis erant Wilielmus Moravius eques, de Blebo, Iacobus Arnottus Burglęi Reguli frater, Dicius quidem, Wallaſiuſque tribuni militum, & alii quàmplurimi quos Montisroſanus in fidem receptos liberaliter habuit, & datâ fide, dimiſit. Atque hæc eſt inſignis illa victoria ad Kilſytham parta, decimo ſeptimo Kal. Sept. an. 1645. quâ ſex millia perduellium cæſa traduntur.

CAP. XIV.

KIlſythinam victoriam per totum regnum, nova rerum facies ſubſequata eſt. Conjurati proceres, alii Bervicum, Carleolum alii, alii Novum caſtrum in Anglia, in Hiberniam alii, alii aliò cum ſumma trepidatione ſe receperunt. Qui verò Regi hactenùs in occulto favebant, ſeſe palam oſtendere, fidem atteſtari, preces publicè pro ſalute fundere, operamque polliceri non ampliùs metuebant. Quique priùs fœderatis militaverant, veniam deprœcari, violentiam, & ſœvum perduellium imperium incuſare, ſe ſuaque omnia victori dedere, implorare humiliter fidem, & ſolitam clementiam expectare. Provinciæ etiam,

&

& civitates, quàm longiſſimè diſſitæ oratores mittere, fidem Regi, & vicario ejus Gubernatori obſequium operamque polliceri, arma, commeatus, militem, aliaque ad bellum neceſſaria ultro offerre. Proceres Regni, & familiarum principes, frequentes accurrere, ſalutare, obſequium domino Gubernatori deferre, res egregiè geſtas laudare, gratularique. Quos ille omnes, non modò præteritorum veniâ, ſed & libertate, & immunitate donatos in fidem recepit, bonoque animo eſſe juſſit. Nec gravius quidquam illis impoſuit, quàm ut avarum & crudele conjuratorum imperium, cum mitiſſimo clementiſſimi Regis patrocinio, & tutela commutarent. Utque inductâ priorum ſimultatum oblivione, fidem, & obedientiam, optimo Regi debitam, in poſterum ſanctiùs colerent: nec ſemet ſeditioſorum hominum conſiliis deinceps immiſcerent, qui cum explendis ſuis cupidinibus, tantummodo incumberent, Regem ſubditoſque inter ſe commiſſos tantùm non everterunt. Sibi quidem ab initio nihil unquam aliud in animo votiſque fuiſſe; quam ut armis (quando aliter fieri nequiret) Religionem, Regem, libertatem, æquales ſuos Regni proceres, populareſque omnes, à per-

perduellium tyrannide vindicatos, priſtinæ paci, gloriæ, & felicitati is reſtitueret. Quod ſi effectum daret, Deo opt. max. bonorum omnium largitori, æternas debiturum gratias. Sin ſecùs accideriſ, eidem tamen Deo immortali, Regique, ejus in terris vicem gerenti, bonis omnibus, poſteris etiam, famæque & conſcientiæ denique ſuæ, honeſtiſſimo conatu, ſatisfacturum.

Simul his, nihil aliud, quàm Montisroſani laudes undique perſonabant. Ejus indolem, quâ æquales omnes antecedebat, ejus in bello fortitudinem, in laboribus patientiam, conſtantiam in dubiis, in conſiliis prudentiam, fidem in deditos, in rebus gerendis celeritatem, clementiam in captivos, in omnibus denique heroicam planè virtutem, omnes, omnium ordinum homines ubique prædicabant. Idque plurimi fide bonâ, & ſincero affectu; alii verò dolo factitabant: & ut quiſque ingenio, aut arte valebat, carmine encomiaſtico, & panegyricis orationibus eum proſequebatur. Quæque rerum humanarum viciſſitudo, & volubilis præſertim vulgi inconſtantia eſt; fæderatorum coryphæos, duceſque (quos non ita pridem numinum ferè loco venerabantur, & colebant) Argathelium

lium nimirùm, Balmerinothum, Lindesium, Laudonium, alioſque tanquam malorum omnium authores, diris publicè perſequi non verebantur.

Rebus verò ſic proſperè ſuccedentibus, Regni partibus à tergo ſeptentrionem verſùs ſecuris, aditu in meridiem patefacto, fractis ubique conjuratorum viribus, eorumque principibus viris (qui pro ſcelerum conſcientia, de venia deſperabant) Regno pulſis, &, quamvis nullo, juſto exercitu ſuperſtite; ad occidentem tamen tumultuabantur. Caſſilius enim, Eglintoniuſque Comites, & alii fœderatorum miniſtri, provincias ad renovandum bellum incitabant: & tumultuario delectu, ad quatuor millia coêgiſſe dicebantur. Quapropter Montisroſanus poſtridiè illius diei, quo ad Kilſytham pugnatum fuerat, copias ad Glottæ amnis tractum perduxit: unde Lanricenſis Comes, victoriæ famâ perculſus, dimiſſis quos coëgerat militibus, aufugerat. Locum illum tanquam rebus ſuis in meridie, & occidente commodiſſimum Montisroſanus delegit; Glaſcuamque provinciæ caput eſt profectus. Civitatem in fidem receptam, cum fauſtis populi acclamationibus ingreſſus, milites imprimis ab injuriis coër-

coërcuit; & in noxios ſeverè animadvertens, graviùs peccantes, in aliorum terrorem capite multavit. In civium deinde gratiam, ſecundo quàm venerat die, urbe exceſſit; ad Bothweliam caſtra locaturus. Ubi, quoniam ad ſex duntaxat milliaria à civitate aberat, ne quid militari licentiâ peccaretur; civibus indulſit, ut ſibi ipſis proſpicerent, & ſuorum præſidio civitatem tenerent. Eâ clementiâ fore ſperans, ut non Glaſcuenſium modò; ſed & aliarum civitatum animos beneficiis magis, quam vi, & armis, obnoxios haberet.

Bothweliæ verò, plures dies ſtativa habuit, proceres alios coram, alios per legatos, amicos internuncioſque audivit. Provinciarum & civitatum, ultro omnia deferentium fidem obſequiumque confirmavit. Salutantium operamque pollicentium, in illis locis primi fuêre, Duglaſſius Marchio, nobiliſſimæ familiæ, & Duglaſſiorum gentis princeps, Limmucenſis Anandius, Hertfeldius Comites, Setonius, Drumondus, Flaminius, Madertæus, Carnegius, Ionſtonius Reguli, Hamiltonius de Orbeſton, Charterius de Hempsfeild, Tourius de Innerleith (vir meritiſſimus qui poſtea fortiter pugnando, non ſegni fato functus eſt) Stuartus de

Re-

Reſyth, Dalyellius Carnwathii Comitis frater, equites, & alii quamplurimi: quorum nominibus recenſendis, vel non undequaque ſufficit memoria, vel abſtinendum cenſui: ne ingratâ forſan & intempeſtivâ laude, ſub duriſſimo gementes tyrannidis jugo magis onerare, quàm ornare videar.

Poſt Kilſythinam victoriam, nihil priùs generoſum Montisroſani animum ſubiit, quam captivorum cura: qui nullius criminis ergo, ſed duntaxat ob fidem erga Regem, in duriſſimo & fædiſſimo, carcere Edinburgeno peſſimè habiti, ultima etiam expectabant. Naperium ergo ex ſorore natum, cum Nathaneele Gordonio, & expedita equitum manu Edenburgum mittit; qui civitatem deditam in fidem reciperent, captivos aſſererent in libertatem, & civium animos, in fide & officio confirmarent: repugnantibus verò, & detrectantibus imperium, ferrum flammamque intentarent. Illi, cum copiis ad quartum ab urbe lapidem ſubſtitere; nec propiùs (niſi obſtinatâ forſan civium pertinaciâ coacti) accedere ſtatuerunt: tam ut militarem licentiam faciliùs refrænarent, ne injuriis miſeros cives opprimerent, urbemque exoſam, utpote totius rebellionis miniſtram, & fomi-

fomitem, præcipiti irâ, & ultricibus flammis, in cineres redigerent: quod ut modis omnibus præcaverent, Montisroſanus imprimis in mandatis dederat: quàm ut ſuos incolumes à peſtilenti contagione præſtarent; quæ in civitate, & viciniâ vehementer flagrabat, & quàmplurimos indies abſumebat mortales. Ubi verò adventantium, ad urbem perlatus eſt nuncius, tremere omnes, & de ſalute deſperare; nec aliter ejulare, quàm ſi hactenùs enſes jugulis, & tectis faces admotæ fuiſſent. Et non pauci conſcientiâ ſcelerum agitati, ingratiſſimos ſeſe proditores, ſacrilegos, perjuros, & omni veniâ indignos, ſponte prædicabant. Ad captivos deinde converſi, eminùs, & per occultos internuncios eorum implorare fidem, & obſecrare; ut miſellæ plebis, & ſæviſſimo confectæ morbo miſerti, victoris animum jure irritatum mitigarunt: omnem in eis ſpem eſſe; & hoc unum rebus perditis ſupereſſe remedium. Proteſtari inſuper, clementiam hâc ſaltem vice expertos; ſuperiorem defectionem ſanctiore fide, & intenſiore obſequio penſaturos. Captivi verò (quibus non ita pridem, viliſſimi mortales acerbè nimis & contumelioſe illuſerant, patibuliſque, & crucibus devoverant) in-

injuriarum prorsus immemores ; & malorum quæ ipsi fuerant perpessi sensu, magis quàm vindictâ stimulati ; Deo opt. max. qui libertatem, salutemque minùs expectatam clementer ostentaret, gratias reddidêre. Inde verò ad hostes infensissimos conversi, bono animo esse jusserunt : clementissimum enim Regem, ejusque vicarium Montisrosanum populi pœnitentis salutem & commodum : non internecionem & ruinam expetere. Consulere verò, ut ad Montisrosanum supplices oratores confestim mittant, qui fidem ejus veniamque deprecentur : nihil enim ad leniendum victoris animum promptâ deditione validiùs esse. Sese etiam precibus apud eum, pro eorum incolumitate non defuturos : nec dubitare quò minùs, aliàs invictus ; precibus, lamentisque miserrimorum hominum vinci se pateretur magnus excelsusque animus.

Edinburgenses hâc spe erecti, consilioque adjuti, illicò senatum convocant : de mittendis oratoribus consulturi. Erant inter captivos, qui natalibus, & gratiâ apud Montisrosanum eminebant : Ludovicus Craufordiæ Comes, antiquissimæ, & nobilissimæ Lindesiorum gentis princeps, militari gloriâ apud exteros, Suecos,

Suecos, Auſtriacoſque & Hiſpanos clarus. Hic Lindeſii Comitis, conſanguinei ſui (qui quòd honoribus, tituloque Craufordiæ inhiaret, ejus etiam capiti inſidiabatur) arte, & authoritate, à conjuratis ultimo ſupplicio deſtinatus erat. Nec ob aliud omniò crimen, quàm quod vir militaris, & manu promptus, ſtrenuam fidelemque operam domino ſuo, ac Regi navaſſet, & quaſi adhuc navaturus metuebatur, ſi ſuperſtes foret. Iacobus deinde Ogilvius Regulus, Arlæi Comitis filius, Montisroſano in paucis charus, paternâ propriâque virtute, & potentiâ formidabilis. Hic etiam, cum Argathelii propter veteres ſimultates, & recentes injurias hoſtis eſſet, ejuſdem cum Craufordio criminis reus, in eodem diſcrimine verſabatur. Illos ergo ex captivis Edinburgenſis elegit ſenatus, & confeſtim in libertatem aſſertos, votis precibuſque fatigavit; ut pro gratiâ quâ apud dominum Gubernatorem valebant, oratoribus ſuis opitularentur: urbique omnipotentis Dei flagello hactenùs afflictiſſimæ ſuccurrerent. Seque poſteroſque ſuos omnibus diris devovent ſi tanti beneficii immemores, aut beneficiis ingrati aliquando forent. Illi, rem omnibus votis expetitam, haud gravatim ſuſcepêre:

cepêre : acceptiſque in comitatu ſuo oratoribus, ad Naperium egreſſi ſunt. Ille, cum obiter chariſſimum patrem, conjugemque, & Sterlinum levirum, cum ſororibus, ex carcere Limnuchenſi, in quem ex arce Edinburgenâ delati fuerant à fœderatis, liberaſſet; copias cum captivis iſtis, jam in libertatem aſſertis, & civitatis oratoribus, re bene geſtâ, ad avunculum reduxit. Montisroſanus Craufordium, Ogilviumque viros amiciſſimos, & diu multùmque deſideratos amplexus, ſoſpiteſque & incolumes gratulatus, omni honore, & ſolatio, poſt diuturnum carcerem proſequebatur : & illi contra, liberatorem ſuum, vindicemque gratiis, laudibuſque ut par erat, efferentes; jucundiſſimum præſentibus ſpectaculum exhibuêre.

Admiſſi poſtmodum Edinburgenſes oratores, ſenatus populique mandata exponunt. Summa erat, eos civitatem Gubernatori ultro dedere, veniam ſupplices deprecari; obſequium fidemque in poſterùm ſpondere, ſe, ſuaque patrocinio ejus, & tutelæ, (quam humiliter poſtulabant) committere. Captivos inſuper, qui adhuc apud eos detinebantur, ſecundùm ejus mandata, quamprimùm liberandos : omniaque officia, ex animi ſui ſen-

ſententia, præſtanda ſibi per ſuaderet. Et quàmvis civitas diriſſimo morbo exhauſta jaceret, ut nulli inde milites conſcribi poſſent: paratos tamen eſſe, ſtipendia, aliundè coactis, pro modulo ſuo erogare. Hoc denique omnium maximè implorare, ut clementiſſimi domini Regis animum ad miſericordiam inclinaret, ne quando in civitatem ſuam, ſeditioſorum, & præpotentium hominum arte, authoritate, & exemplo ad rebellionem concicatam, graviùs animadverteret. Montisroſanus, de cæteris bonam illis ſpem fecit, nec durius quid impoſuit, quàm ut fidem domino Regi ſanctiùs colerent. Perduellibus, qui contra eum tam extra, quàm intra Regnum militabant, fideliter renunciarent. Arcem Edinburgenſem (quam in eorum poteſtate ſitam fuiſſe tunc, ſatis conſtabat) Regi ejuſque miniſtris redderent. Captivos denique, ubi primùm oratores redierint, liberos ad caſtra ejus remitterent. Et ſanè, quòd ad captivos, eos reverſi dimiſerunt: at cætera falſi, perjurique niſi reſipuerint, olim animi uſque adeo ingrati & repetitæ perfidiæ, Deo, veritatis, & juſtitiæ vindici pœnas daturi.

Dum iſta Edinburgi agebantur, Montisro-

tisroſanus Alexandrum Makdonaldum (cui & Iohannem Drumondum de Bella, virum generoſum, & fortem addidit) cum parte copiarum, ad occidui maris oram ablegavit : ut tumultuantes illic coërceret, & Caſſilii, Eglintoniique conatus everteret. At illi, ſolâ adventantis Makdonaldi famâ perterriti, palantes trepidique ſe ad ſuos recepêre : Comitum procerumque alii in Hiberniam contenderunt, alii, in quibus neſcio latibulis delituêre. Provinciæ occidentales omnes, Aëra urbs, Iruinaque, & aliæ, certatim manus dederunt : obſequium, fidem, operamque ultrò deferentes. Nec ſanè (quod præter ſpem evenit) uſquam Montisroſanus invenit animos ad Regem propenſiores, quàm in locis illis occiduis : quàmplurimi enim generoſi, equeſtris ordinis, familiarum principes, & nonnulli etiam primariæ nobilitatis viri, ad partes læti pertranſierunt. Quorum nomina, aliàs cum laude prædicanda, inpræſentiarum, grato forſan illis, certè utili ſilentio, præterimus : nolumus enim honeſtiſſimos viros, & Regi ſuo addictiſſimos, indicio noſtro, benevolentiæ ſuæ, ſæviſſimis hoſtibus pœnas dare.

CAP. XV.

ANimum jam Montisroſanus ad limitem auſtralem converterat : miſeratque ad Humium, Rosburgium, Trequairumque Comites, qui eos ad belli, & pacis, rerumque omnium Regis nomine, & auſpiciis gerendarum ſocietatem invitarent. Erant iſti, in illis locis, non modò amicorum multitudine, & frequenti ſatillitio potentiſſimi ; verùm etiam Regiæ authoritatis acerrimi vindices videri volebant. Enimverò præterquàm quòd fide juxta ac alii obſtricti forent, non vulgaribus beneficiis ab eo erant affecti. Nec tantùm ornati ampliſſimis honoribus, ab equeſtri nimirùm ordine, ad ſupremæ nobilitatis dignitatem evecti : ſed & præfecti quæſtuoſiſſimis provinciis, & ſupra æquales, ſortemque locupletati, ſibi opes, Regi odium, invidiamque conflarunt. Et hi quidem amicorum ſplendidiſſimos ad Montisroſanum ablegârunt, qui illi renunciarent, paratos eſſe ſeſe, qui quodvis diſcrimen, ejus ductu, & imperio, pro munificentiſſimo domino ſuo, ac Rege ſubeant. Copias etiam, quas poſſent maximas coacturos ſpondent : nec quid-

quidquam impedire, quò minùs ad caſtra veniant, ſi ille, cum vel minimâ copiarum parte, ad provincias iſtas progrediatur. Sic tandem fore, ut non modo eorum amici, clienteſque, ſed & provinciales omnes ejus authoritate, & præſentiâ excitati & animati, alacriter ad militiam ſe accingant: & reluctantes cogantur, aut redigantur in ordinem. Enixè denique rogare, ut ad hoc, ſuam illis operam impertiat; in aliis certiſſimam eorum fidem, & promptiſſimam operam experturus. Splendida ſanè illa, & primâ fronte, honeſta; verùm eâ fide jactata, quàm munificentiſſimi Regis beneficiarii colere aſſueverunt. Minùs forſan eo nomine vituperandus Lanricenſis Comes, Hamiltonii Ducis frater, qui à Montisroſano per amicos, ad partes Regias ſeriò invitatus, quàmvis præteritorum venia, & de impetrandâ fratris libertate, non exigua ſpes illi fieret: diſertis tamen verbis, & ſinè ambagibus reſpondit; Nihil ſibi cum illis partibus commune fore: nec velle eum amicitiam præ ſe ferre, quam colere non inſtituiſſet. Atque utinam, illi omnes, in quibus optimus Rex nimiam collocavit fiduciam, eodem candore & ſimplicitate omnia dixiſſent, ab iſtorum tumultuum initio!

Eodem fermè tempore, Duglaſſium Marchionem, & Ogilvium Regulum in Anandiam, Nithiamque Montisroſanus transmiſit: ut junctis ſibi Anandiæ, & Hartfeldiæ Comitibus, copias, equeſtres præſertim, quas poſſent maximas conſcriberent. Et inſuper mandat, ut cum conſcriptis verſùs Trequarium, Rosburgium, Humiumque tenderent: ut eos abſque omni tergiverſatione, ad belli ſocietatem pertraherent. Quippe Montisroſanō aulicorum mores ſuboluerant, ut ſuſpectas haberet, quas nectebant moras: eorundum enim, præſertim Trequarii artes, & incertam fidem ſæpiuſculè erat expertus. Et ſanè Duglaſſius, alacri Hartfeldii, Anandiique operâ, non ſpernendam manum brevi contraxit, ſi numerum ſpectes: verùm viri novi, agriculturæ, & paſcendis gregibus aſſueti, militiæ verò rudes; ad primum impetum prompti, mox, in tantum animis defecêre, ut ſub ſignis detineri nullâ ratione valuerint. Hoc cum Duglaſſio ceteriſque ducibus certò conſtaret, literis Montisroſanum fatigant; ut cum veteranis quos habebat, ad ſe verſùs Tuedam properaret: ipſius enim authoritate, & præſentiâ, cum veteranorum ſocietate & exemplo, fieri poſſe, ut vel ſponte, vel inviti

ad

ad officium præſtandum cogerentur. Interim illi ad Galæ tractum: ſecundùm mandata procedunt: Rosburgio, Trequarioque opportunitatem, operamque ultrò deferentes, ſi res ita poſtularet, quò faciliùs, maturiùſque ſuos educerent. At illi boni viri, quibus conjuratorum intima conſilia erant ſatis perſpecta, quique omnem ex Anglia equitatum, ſub Davidis Leſlæi imperio, jam jamque affuturum non ignorabant; nihil animo verſabant, quàm optimo Regi ſolitis artibus illudere: Montisroſanum verò (cujus gloriæ invidebant) quia armis non poterant, dolo, in hoſtium poteſtatem perducere. In eum ergo finem, non modò Duglaſſio & eis qui cum eo erant: ſed & ipſi Montisroſano, per amicos, frequenteſque nuncios, identidem ingerunt: paratos quidem eſſe, qui corpora ſua præſentiſſimis objiciant periculis: verùm amicos, clientes, ſatelliteſque contrahere, niſi ipſius Montisroſani præſentiâ erectos & confirmatos, neutiquàm planè poſſe. Et quò ampliorum illi fidem faciant, infandis ſeſe diris devovent, niſi promiſſis ſanctè & conſtanter ſteterint. Montisroſanus nihilominùs, immotus ad hæc omnia, Bothweliæ ſubſiſtebat; ſi quid recti & ſinceri eorum verbis ſubeſſet, Duglaſ-

ſium cum ſuis, qui hactenus in vicino tractu erant, animandis, & cogendis illorum amicis, & clientibus abundè ſufficere ratus.

Ubi tandem diutiùs Bothweliæ ſtativa habuiſſet Montisroſanus, montani plerique, prædâ onuſti, clam ſigna deſeruêre, & reverſi ſunt ad ſuos. Exinde etiam, & ipſi eorum duces miſſionem palam, ad breve tempus poſtularunt; pretexentes nullum exercitum hoſtilem, intra Regni limites ampliùs exſtare, ideoque operam ſuam inpræſentiarum inutilem fore. Ædes inſuper ſuas, frugeſque, quibus parentes, conjuges, parvulique inſtantem hiemem tolerarent, hoſtilibus flammis abſumptas; nec ulla ex parte reparatas, querebantur: adeoque aliquot hebdomadarum veniam ſupplices orare quibus ſuis contra frigus, famemque proſpicerent. Fidem verò ſolemniter, & ſponte præſtare, ante quadrageſimum diem, refectis viribus, longè frequentiores reverſuros. Eos Montisroſanus, cum detineri non poſſent, utpotè qui gratis militabant, quò devinctiores ſibi redderet, non modò cum venia, ſed & mandatis dimittendos cenſuit. Militibus ergo publicè laudatis, ducibus Regis nomine gratias egit: & ut ſtre-

ſtrenuè rem ſuam agerent hortatus, Alexandrum Makdonaldum popularem & cognatum (qui provinciam illam nimis ambitiosè expetiverat) comitem ducemque illis attribuit, qui ante dictum diem, ad caſtra eos reduceret. Et ille omnium nomine, compoſitâ oratione, gratias domino Gubernatori pro eximia indulgentia egit; & quaſi illorum fidejuſſor, pro maturo reditu ſponſurum ſe ſanctè juravit; Montisroſanum tamen poſtea nunquam viſurus. Nec montanorum viribus ille contentus, qui tria millia fortiſſimorum militum excedebant; promptiſſimos etiam ex Hibernis, ad numerum centum & viginti, clam ſubduxit, quaſi; ſcilicet, ad corporis ſui cuſtodiam ſeparatos.

Hoc potiſſimùm tempore, plures Oxoniâ nuncii à Rege, Bothweliam diverſis itineribus pervenère. In quibus unus erat Andræas Sandilandius Scotus, in Angliâ tamen educatus, & initiatus ſacris, vir integer, Regi fidus juxta, ac Montisroſano charus, qui ad belli exitum ei conſtanter adhæſit. Robertus deinde Spotſwodius eques, ſupremæ in Scotiâ Curiæ olim ſupremus, meritiſſimuſque præſes: tunc verò ab epiſtolis Regi, ſeu, ut hodiè loqui vulgus amat, pro regno Scotiæ

ejus ſecretarius; qui Oxoniâ, per Walliam, in Monam inſulam, & inde in Abriam devectus, in Atholiam pervenit: & ab Atholiis ad Montisroſanum fuit perductus. Nuncii plerique omnes, inter alia mandata deferunt, Regis voluntatem eſſe, ut Rosburgium, & Trequarium ſibi adjungat, & eorum operâ, & conſilio utatur: de fide, induſtriâque hominum non eſſe ambigendum. Inſuper, ut ad Tuedam amnem, in regnorum limite properaret, quò equitibus auxiliariis occurreret, & illis cum imperio præeſſet; quos ad eum Rex quàm primùm ex Anglia eſſet miſſurus, ut eos Davidi Leſleo cum fiducia opponeret, ſi ille (quod ſuſpicabatur) cum fœderatorum equitatu, in eum tenderet. Et hæc, nuncii unanimiter detulerunt; literiſque ſuis, optimus Rex, ſed malè credulus ſignificavit. Montisroſanus verò, mandatis Regiis tandem victus, ad Tuedæ tractum proficiſci ſtatuit. Pridiè vero, quàm iter eſt ingreſſus, vocato ad concionem milite (nondum enim Makdonaldus cum montanis abſceſſerat) ſub vexillo Regio, Robertus Spotſwodius in terram pronus, dyploma Regium Majori ſigillo obſignatum Montisroſano, ille item Archibaldo Primiroſio, ſupremi conſilii (ut loquuntur) clerico, clarâ voce,

per

per preconem recitandum tradidit. Deinde & militum fortitudinem, fidemque erga Regem; & ejus in illos animum, brevi, sed magnificâ oratione laudavit. Makdonaldum etiam pro authoritate sibi à Rege concessâ, pro concione, cùm laudibus, tum equestris ordinis dignitate ornavit. Enimverò, non modò Montisrosanus, sed & quotquot Regi favebant, optima quæque de isto viro sperabant: quorum omnium opinionem, non tantùm in causæ Regiæ detrimentum, sed in suam, suorumque certissimam perniciem, fefellit.

Montisrosanus destinatum iter aggressus, secundis castris, Calderiam arcem pervenerat; cum Aboinius Comes, frustra retinente Gubernatore, non suos tantùm, sed & septentrionales alios ad desertionem solicitatos, ad unum omnes secum abduxit. Nec ullis omnino rationibus, aut amicorum precibus, qui à pudendo facinore abhorrebant; persuaderi sibi passus est, ut vel hebdomadæ unius moram necteret; tum demùm, non modò cum bonâ imperatoris veniâ, sed & famâ, & bonorum gratiâ, & laude demittendus. At Montisrosanus Edinburgum prætergressus, per agros Lothianiæ copias perexiguas quidem duxit, & in Galæ tractu, Duglassium cæterosque duces

obvios habuit; quorum copiæ hactenus multùm imminutæ, magis, magiſque indies, deficiebant. In illo tractu ipſe Trequarius ſolito alacrior, hilariorque ad eum accurrit: qui quidem non Regi tantùm; ſed & ipſi Montisroſano propenſiſſimum ſeſe ſimulans, poſtridiè filium, Lintoniæ Regulum, cum egregiâ ſanè equitum manu, ad eum miſit, quaſi ſub ejus ſignis militaturum: ut hoc quaſi pignore, ſecurum de inſidiis quas ſtruebat, faciliùs opprimeret. Nihil enim ille, quàm conjuratorum ſpeculatorem, non jam primùm, agebat, mortalium ingratiſſimus Montisroſanum, adeoque & Regem ipſum illis proditurus.

Ubi verò, non ſupra duodecim milliaria ab Humio, Rosburgioque abfuit, atque illi ne nuncium quidem præmitterent, aut leviſſimam officii ſpeciem exhiberent: non parùm commotus Montisroſanus in eorum agros ducere, ipſoſque, vel invitos, ad partes pertrahere conſtituit. Verùm illi, inſigni arte, ſibi præcaverunt. Davidem Leſlæum, quem ſub illud tempus Bervicum uſque penetraſſe, cum omni ex Anglia equitatu, & plurimis ejuſdem gentis auxiliariis, noverant (utpotè conſilii ejus conſcii, & participes) compellarunt, eique authores fuêre,

ut

ut immiſſo milite, eos quaſi captivos abduceret: quod & factum fuit pridie quàm illuc venerat Montisroſanus. Sic enim fore exiſtimavit verſutus ille ſenex Rosburgius, (qui Humium ſecum perduxit) ut fœderatorum gratiam iniret, quod ſe ſponte quaſi eorum tutelæ tradidiſſet: nec tamen gratiâ Regis excideret, dum ſe invitum in eorum manus incidiſſe, ſimularet. Et, hoc primo facinore perpetrato, Leſlæus trajecto Tuedâ, in orientalia Lothianiæ duxit. Montisroſanus, ubi Regem, ſeque ab iſtis proditum ſenſit, nec jam ſpes ulla de auxiliariis equitibus à Rege mittendis affulgeret; hoſteſque prævalidi reditum in ſeptentrionem, & montana obſtruerent: cum perexigua manu, quam ſecum adduxerat, in Nithiam, Anandiamque & Aeræ provinciam tendere ſtatuit; ut equitatum quam poſſet maximum contraheret. Quamvis enim de hoſtium viribus, nihil illi certò conſtaret, in equitatu tamen præſertim poſitas conjecturâ aſſequutus eſt.

CAP. XVI.

KElſoâ digreſſus Montisroſanus Iedburgum, & inde Selkirkam perve-

nit : ubi equites quidem, in oppidulo, pedites, in vicina ſilva collocavit. Certum enim erat locorum opportuna ſequi, ne cum hoſte cujus vires prorſus erant incognitæ, in iniquo ſolo dimicare cogeretur. Equitum deinde præfectis mandat, ut ſpeculatores expeditos, fidos, frequenteſque emittant ; præſidia in locis opportunis quoquò verſum diſponant ; vigilias ſedulò curent. Quæ quidem omnia, more ſolito, ipſe coram exſequi non poterat, quia eâ nocte, literas ad Regem daturus, nuncium quem fidiſſimum nactus fuit, ante diluculum erat dimiſſurus. Adeoque enixiùs rogavit, ut in hoc unum animos intenderent, ne hoſtes, qui equitatu prævalebant, improviſi ſuos opprimerent. Ducibus verò curam omnem, induſtriamque ſpondentibus ; ille ſcribendis epiſtolis occupatus, noctem inſomnem egit. Cum verò, ſubinde prætoribus ſuis (viris militiæ peritiſſimis, & eo nomine, apud exteras gentes claris) incertos rumores, de vicinis hoſtibus ad ſe perlatos deferret ; illi ſeu militum, & ſpeculatorum ignaviâ, ſeu fato decepti, hoſtem planè nullum in illo tractu, ac ne viciniâ quidem fidenter nimis renunciarunt. Cum primâ tandem luce, expeditiſſimi & peritiſſimi equites, denuò ad ſpeculan-

culandum emiſſi ſunt; & illi quoque reverſi, decem milliaria confeciſſe ſe, & diverticula quæque diligentiſſimè perveſtigaſſe affirmant: diraſque capiti ſuo temerè imprecantur, ſi qui armati intra decem milliaria deprehendi poſſent. Poſteà tamen, ſed ſerò conſtitit, hoſtem cum copiis omnibus, vix quatuor Silkirkâ milliaribus abfuiſſe, noctemque illam egiſſe in armis.

Leſlæus, eo die, quo Iedburgo profectus erat Montisroſanus, in Gladſmoria Lothianæ Provinciæ planicie, copias recenſebat; & fœderatorum primoribus, cum eo de ſumma belli conſulentibus, Edinburgum, Forthamque verſùs tendere viſum fuit: ut Montisroſano, in ſeptentrionem revertenti, ſe opponerent; & ad dimicandum vel invitum cogerent, priuſquàm montanos ſuos ſibi adjungeret. Verùm ille, mutato conſilio, copiis univerſis ſubitò mandat, ut ſiniſtrorſum tenderent, & iter ſtrenuè capeſſerent: mirantibus omnibus, quibus rerum arcana nondùm innotuerant, mutati itineris, & tam repentinæ expeditionis conſilium; rectà enim Galæ tractum petebant. At qui (quod poſtmodò, narrantibus hoſtibus, cognitum fuit) literas ille acceperat, quibus accuratè edoctus fuit,

Montisroſanum, quingentis duntaxat peditibus, eiſque Hibernis, & equitatu planè imbelli, nec militiæ aſſueto, ſtipatum; in Tuedæ amnis tractu, de improviſo facillimè opprimi poſſe, ſi ipſe rei benè gerendæ occaſionem peropportunam arripat. Leſlæus ergo, iſtis literis monitus, properè illuc contendit: & ut dictum eſt ad quatuor milliaria, Selkirkâ pernoctavit. Trequarium illas dediſſe ad Leſlæum literas, quod conſtanti evulgatum eſt famâ, ut ego non affirmaverim; diſſimulari tamen non poteſt, eundem filio Lintonio, eâdem nocte, mandata dediſſe, ut ſe confeſtim à partibus Regiis ſubduceret: quod & ille lætabundus perfecit. Omnium ut illi fuerint hominum ingratiſſimi, & Regis optimè de ſe meriti deſertores, poſteris etiam pudendi. Et ſanè illius diei tempus matutinum, profundâ ſpiſsâque caligine plenum, hoſtium inſidiis non minimùm favit. Quos tandem, inſtructis ordinibus in Montisroſanum tendere, nec quingentis paſſuum millibus abeſſe, trepidi ejus ſpeculatores renunciant.

Montisroſanus, equo, qui primus occurrit, conſcenſo, in campum matutino conventui deſtinatum prorupit: ubi omnia tumultu, nihil conſilio agebatur.

Equi-

Equites, imperio neutiquàm assueti, & sparsi antea per agros, pascendis jumentis magis, quàm tuendæ, cum honore, vitæ intenti, vel primo hostilis tubæ sonitu attoniti, palantes, incertique huc, & illuc cursitabant: sed in aciem nunquam descenderunt. Pauci tamen, illique fermè nobiles, & equestris ordinis viri, illuc advolârunt: & dexteræ peditum alæ tutelam fortiter susceperè, qui numero plures quàm centum & viginti non erant. Nec pedites (qui quingenti omnino erant) frequentes aderant; plerique enim rebus privatis inter impedimenta intenti, intempestivâ curâ, seque suaque prodiderunt. Quodque res hactenus turbatas prorsùs perdidit, præfecti ac duces plerique aberant, & ad prælium nunquam pervenere. Nec jam instantibus citato gradu hostibus, consilii capiendi tempus supererat. Et illi cum sex millibus (quorum plerique equites erant ex Anglia) in dextram Montisrosani alam ferociter invecti, bis quidem fortiter excepi & ad suos, cum non minimo damno, repulsi fuerunt. Nec nobilem illam turmam loco pellere, aut perrumpere valuerunt: quoad ad sinistram, ubi equites nulli erant, paucis, qui obstabant, peditibus prostratis irrupêre. Simul his, duo

duo equitum millia, quos adversâ amnis ripâ, hostes transmiserant, generosis illis viris à tergo imminebant: qui, ne undique circumventi, & eminus hostium jaculis petiti, impunè caderent, quà cuique via expeditissima visa est, se subduxerunt. Pedites verò, quibus in fugâ exigua spes erat, fortiter, & pertinaciter pugnantes, datâ tandem acceptâque fide, pro vitæ incolumitate, projectis armis, sese dedidêre. Eos tamen ad unum omnes, inermes, nudosque, Lesłæi ipsius jussu, & proculcatâ quam dederant fide, immaniter trucidarunt. Cujus sevissimæ perfidiæ notam (quâ ille gloriam, si quam apud exteras gentes acquisiverat, cum æterna nominis ignominiâ, fædissime polluit) nullo ævo abluet. Cæterùm eos, qui pugnâ excesserunt, hostes ultra non sunt insequuti; diripiendis nimirùm impedimentis intenti: ubi sanè, mulierculârum, calonum, ac lixarum miserandam edidêre stragem; non sexus, non invalidæ ætatis miserti, promiscuè omnes occidêre. Cæsorum numerum inire non est facilè: equites fermè nulli, pedites etiam perpauci (præter deditos istos, & in fidem receptos) in pugna ceciderunt; hinc enim conjecturam facere licet, quòd cum omninò quingenti tantùm fuissent, & ante

te posterum diem ducenti & quinquaginta incolumes ad Montisrosanum pervenerint, illique omnes gladiis armati, eo numero plures non potuisse desiderari. Longè verò pauciſſimi capti, quoad equis fugâ lassatis, viarum ignari agrestibus præda cesserè. Quos illi, beneficiorum omnium, & incolumitatis, recens à Montisrosano impetratæ immemores; in fœderatorum gratiam, sæviſſimis hostibus, tanquam hostias diis inferis devotas, immolandos tradiderunt.

Nec tamen vexillis Regiis, conjurati victores potiti sunt. Miles quidam Hibernus, vir fortis, &, in summâ aliorum trepidatione, præsentis animi; cum hostes jam planè victores cerneret, altero; quod peditatui prætendebatur, hastæ detracto pectus suum involvit. Et cętera nudus, stricto mucrone per medios hostes elapsus, sub vesperam ad Montisrosanum pertulit. Cui quidem ille inter corporis custodes adscito, fortitudinis, fideique ornamentum, illud in posterum gestandum dedit. Alterum verò, Wilelmus Hius Kinnulii Comitis frater, egregiæ indolis adolescens, (qui avunculo materno, Duglassio, Mortonii Comitis filio, pluribus & gravioribus plagis in pugna Alfordiana saucio, quàm ut isti oneri ferendo

do par eſſet, ſucceſſor datus) manubrio detractum ſecum avexit. Et ille in vicinam Angliam dilapſus, ibi tantiſper delituit, quoad, pacatis ut cumque in Tuedæ tractu rebus, occultis, & plerùmque nocturnis itineribus, comite, duceque viæ, fidiſſimo ſocio, & amico Roberto Tourio viro forti, & rerum bellicarum perito, qui in Galliis centurio non ſine laude dudùm militaverat, in ſeptentrionem reverſus, idem illud vexillum Regium, ad imperatorem lætus retulit.

Ipſe demùm Montisroſanus (cum ſuos jam fuſos, fugatoſque cerneret, quod nunquam antehac viderat) diu nihil aliud quàm honeſtam, & non inultam mortem meditabatur: collectiſque plus minùs, triginta equitibus, qui fortè ſparſi, incertique oberrabant; ne vivus in perduellium poteſtatem veniret, decoro exitu, præveniendum ſtatuit. Quoniam verò turmas hoſtiles (quæ confertiſſimè circumſtabant) perfringere non poterat; à fronte, à tergo, à latere tamen laceſſebat: & extra ordines progredi auſos, non paucos cecîdit, alioſque trepidos repulit ad ſuos. Verùm cum nihil ad ſummam rei proficeret, procurante ſic benigniſſimo numine, conſtantem tandem & generoſum animum ſubiit cogitatio: jacturam

turam illius diei perexiguam, facilè recuperari poſſe: minimam enim copiarum partem interfuiſſe. Montanos firmiſſimas Regni vires, ſeptentrionales ejuſdem partes, adhuc integras, & intactas ſtare. Quamplurimos etiam primæ nobilitatis, & potentiæ viros, equeſtris ordinis, & familiarum principes, belli ſocietatem palam iniiſſe; quos omnes ſuâ morte attonitos, ſubito pervertendos; adeoque partes Regias in Scotiâ penitùs peſſundandas iri reputavit. Nunquam ergo de juſtiſſima cauſa deſperandum cenſuit, ne chariſſimus Dominus, & Rex, caſu ejus, quàm adverſâ pugnâ longè majorem faceret jacturam. Et iſta quidem cogitantem peropportunè exceperunt Duglaſſius Marchio, & Iohannes Dalyellius eques, cum amicis, paucis illis quidem, ſed fidis fortibuſque viris; qui obortis lachrimis (quas vehementior extorquebat pietas) compellant, orant, obſecrant; per rerum hactenus geſtarum memoriam, per chariſſima amicorum nomina, per Majorum manes, per lectiſſimam conjugem liberoſque; per denique optimi Regis, patriæ, & Eccleſiæ, ſalutem, incolumitatem, & pacem atteſtantur, ut ſibi quàm maturimè proſpiciat: in illo uno, ſecundùm Deum immortalem, ſpem

ſpem ſitam eſſe; cum eo vivendum omnibus, vel occidendum ſimul. Et horum tandem precibus victus Montisroſanus, impetu, patefactâ per hoſtes viâ (qui jam diripiendis impedimentis, magis quàm inſequendis abeuntibus incumbebant) ſe cum ſuis ſubduxit; inſequi verò auſos, alios occidit; alios, in quibus erat Bruſſius quidam, turmæ equeſtris præfectus, cum duobus vexilliferis, quos unà cum vexillis captivos abduxit. Quos liberaliter habitos, poſt aliquot dies datâ fide, ſe totidem captivos ejuſdem ordinis liberaturos dimiſit: quam tamen fidem, ne illi quidem ſatis ſanctè coluerunt.

Nondùm Montisroſanus Selkirkâ tribus paſſuum millibus aberat cum ſuorum, qui eâdem viâ tendebant, non paucos aſſequutus, manum neutiquàm ſpernendam contraxit: quâ, de agreſtium inſultibus ſecurus, iter ſenſim carpebat. Dumque Trequarii arcem prætergreditur (cujus ſcelere proditum ſe hoſtibus necdum noverat) præmittit, qui eum filiumque ad colloquium evocent: verùm utrumque domo abeſſe à ſervis renunciatur. Atqui præſentem utrumque fuiſſe, viri generoſi & fide digni teſtantur: & egregius ille aulicus victoriam conjuratis gratulari, & palam, Montisroſanum

num cum copiis Regiis, in Scotia tandem profligatum, cum petulantiſſimo cachinno proclamare non erubuit; etiam filiâ ejus, Queinsburienſi Comitiſsâ, quantum per verecundiam licuit, patrem hoc nomine increpante. Montisroſanus, ubi ad oppidulum (vulgò Pebliſium dictum) pauliſper ſubſtitiſſet; quoad milites, refectis viribus, ſe ad iter præpararent: plurimis undique confluentibus, occidente jam ſole, ſtrenuè omnes ingrediuntur; & duce præſertim Dalyellio equite, poſtridiè, cum primâ luce Glottam vado trajiciunt. Ubi Craufordius, Arlæuſque Comites, aliâ elapſi via ad eum accurrunt; nihili ſuperioris pugnæ cladem reputantes, ubi illum ſoſpitem vidêre. Nec ille minùs amicorum incolumitate lætus; quàm quod ducentos fermè equites ſalvos, collectoſque in via ſecum perducerent. Quamvis autem ab inſequentibus hoſtibus jam ſecurus eſſet; ad Atholiam tamen feſtinare decrevit: ut, facto inde initio, ex montanis, amiciſque aliis, ſeptentrionem verſùs copias contraheret. Trajecto ergo Forthâ, & exinde Iernâ, agrum Perthenſem juxta montium radices emenſus, eò pervenit. In itinere Duglaſſium, Arleumque cum equitatus parte, in Anguſiam, Areskinium

Re-

Regulum in Marriam præmiſerat ; ut properè amicos, & clientes in illis locis concirent. Ad Carnegium deinde Regulum, Iohannem Dalyellium recenti affinitate conjunctum, cum mandatis ad eum finem ablegaverat. Makdonaldo inſuper literas dedit ; quibus mandatum illi fuit, ut ſecundùm datam fidem, ad diem à ſe dictum cum montanis rediret. Omnium verò maximè Aboinium per literas nuncioſque fatigavit ; ut amicos ſuos clienteſque ſponte pronos, authoritate ſuâ, & exemplo confirmatos, animatoſque reduceret.

CAP. XVII.

AUtumnus erat & provectus; necdum collectæ in rigido ſolo fruges, ædes verò & tuguria ab hoſtibus diruta, nec reparata contra inſtantem, & in illis locis ſæpiuſculè atrocem hiemem : Atholios ab inſita alacritate paululùm diſtinuêre. Effecit tamen apud eos Montisroſanus, ut eunti in ſeptentrionem, unde minus periculi erat, quadringentos expeditos pedites concederent : redeunti verò, ubi in meridiem tendendum foret, univerſas provinciæ vires ſanctè pollicerentur.

Fre-

Frequentes interim nuncii ab Aboinio deferunt, ſe cum ſuis copiis confeſtim affuturum; nec minorem de ſe, & montanis aliis, ſpem fecit Makdonaldus: Areskinius verò ſuos in procinctu ſtare, nec aliud quàm vel Aboinii (qui in propinquo erat) ſocietatem, vel Montisroſani mandata expectare ſignificat. Percrebreſcebant intereà, ſed incerti rumores, de valida equitum manu à Rege ad eum miſsâ; quos non procul ab auſtrali limite abeſſe, plerique augurabantur. Captivorum verò, nullo ſexus, aut ætatis diſcrimine, atrociſſima cædes jam, non dubiâ famâ, divulgata eſt: captos nimirùm ab agreſtibus pleroſque immanem in modum trucidatos; alios (quorum & immitiſſimi illi homines miſerti fuerant) in unum coactos, decreto conjuratorum procerum, ab edito ponte præcipitatos, & ſublabentibus aquis immerſos unà viros, matreſque, & ab uberibus pendentes infantulos: emergentes verò, fuſtibus acceptos, & denuò deturbatos in aquas. Nobiles etiam, & equeſtris ordinis viros, fædiſſimis incluſos carceribus; ut populi ludibrio exponantur, aſſervari, & certo tandem capitis ſupplicio deſtinatos eſſe. Nihil unquàm Montisroſani animum

æquè

æquè affecit ac triſtis ille de ſuis nunciis.

Quapropter ut periclitantibus quoquo modo ſubveniret, moræ omnis impatiens, mirâ celeritate, Grampium ſuperat, & per edita Marriæ, Donæque tractum, ad Aboinium contendit: ut eum præſentiâ ſuâ animatum velociùs ad meridiem pertraheret. Quod eo conſilio factum, ut junctis cum Areskinio, Arlæóque copiis, & accerſito quamprimùm Makdonaldo cum montanis aliis, additiſque in via Atholiis, omnes unà trans Fortham rectà tenderent: ac Regio equitatui occurrerent; & hoſtes, inſtanti periculo attonitos deterrerent à captivorum cæde. Neutiquâm enim in viros nobiles ſævire auſuros putabat; pendente adhuc bello, & incertâ victoriâ. Et ſanè illi anxii & ſolliciti, quò tandem tanta belli moles, quam parari ſentiebant, inclinaret; captivorum ſupplicia diſtulêre. In itinere Montisroſanus Areskinium gravi morbo correptum offendit; clientes tamen ejus (quorum fidem, fortitudinemque, etiam abſente patrono, non ſemel fuerat expertus) promptos, paratoſque, ſi Aboinius officio ſuo non deeſſet: plurimùm enim ab ejus exemplo, & authoritate pendebant. Jamque Hun-

Huntilæus Marchio, cum annum & aliquot menſes delituiſſet, neſcio utrum tot victoriarum, ac recuperati à Montisroſano regni famâ excitatus, an ſideris alicujus fallaci aſpectu commotus, ad ſuos redierat. Vir infelix juxta ac inconſultus, qui ut ut Regis ſtudioſiſſimus videri vellet, aut ſanè eſſet; pravâ tamen, & occultâ invidiâ, Montisroſani gloriam imminuere magis, quàm æmulari nitebatur. Quod cum apud ſuos (utpotè tam præclaræ virtutis teſtes, & conſcios) palam profiteri erubeſceret; ne alienati à Rege animi aliquod proferret indicium: jactitabat tamen; ſe ipſum deinceps fore illis militiæ ducem contra perduelles. Adeòque clientibus imperabat, amicos verò vicinoſque nec ſinè minis, hortabatur; ne ſub aliis, quàm ſuis ſignis militarent. Regerentibus autem, quid nobis ergo ad Montisroſani mandata reſpondendum erit, qui vicarius Regni adminiſtrator, cum copiarum ſummo imperio, à Rege renunciatus eſt? reſponſum dabat, ſe quidem Regi minimè defuturum: interim tam eorum, quàm ſuo honori conducere, ut Regi, aliiſque omnibus manifeſtum fiat, quas illi copias vireſque contulerint; quod aliter fieri nequiret, niſi ſeorſim militarent.

rent. Magnificè insuper, potentiam suam prædicare; Montisrosani verò imminuere. Res à majoribus suis (viris sanè cum omni laude memorandis) præclarè gestas, immodicè extollere: formidabilem à multis retrò sæculis Gordoniorum potentiam vicinis fuisse, atque etiamnum esse. Iniquissimum fore, ut eorum virtute & sanguine parta, in alterius (Montisrosani videlicet) honorem, gloriamque cedant. Se in posterum rationem initurum, ut nec Rex, Gordoniorum operâ; nec illi debitâ laude, gratiâ, & mercede fraudentur.

Æqua omninò, & honorifica imperitioribus dixisse videbatur: at quotquot inter eos erant cordati, & qui penitiùs ejus ingenium noverant, animum plus æquo exacerbatum, & à Montisrosano prorsùs alienatum viderunt: nec aliò tendere, quàm ut quotquot posset ab illo abstraheret; in maximum, non Regis, Regnique modò, sed & suum malum & perniciem: quod, proh dolor, tristis perdocuit eventus. Nec defuêre in illis, viri prudentes & futurorum providi; qui consilium ejus, ut imprudens, intempestivum, & ipsi etiam exitiosum damnarent. Obversabatur enim eorum animis, nihil unquam ab illo attentatum fuisse, cui

cui non ratio, vel fortuna defuiſſet. Rem jam à Montisroſano, melioribus auſpiciis geri; nec ſecedendum eſſe, vano præreptæ gloriæ prætextu. Si enim junctis cum Montisroſano conſiliis, viribuſque ageret, nihil impedire, quò ſe non tantùm ab injuriis tutarentur; ſed & hoſtes etiam in ordinem cogerent, cum æterna vindicatæ majeſtatis laude: ſeditionem verò non probroſam modò, ſed & perniciosam fore. Montisroſanum quidem abſque eorum ope & operâ, multas, eaſque inſignes reportaſſe victorias: ipſos ſinè illo, nihil dum memorabile geſſiſſe. Enixè ergò rogare, ut vicario Regio conſtanter adhæreat; quod, ut Regi non minùs gratum quàm utile, & bonis omnibus laudandum: ſic & ipſi honorificum foret. Nec dubitarunt quidam ultrò profiteri; ſe vel cum bonorum & vitæ diſcrimine, operam & obſequium Montisroſano præſtituros, ſi ille pertinaciter in ſuâ perſiſteret ſententiâ: quod fideliter, ſanctèque fecerunt. At ille, repudiatis amicorum conſiliis, cum Montisroſano ſemper contrariis ſententiis pugnabat: nec quidquam hic tam æquum, honeſtum, pulchrum, aut utile ſuaſit, quod Huntilæus non perverteret, vel rejiceret. Et ſi quando ad ejus ſententiam accederet (quod ſæpiuſ-

piuſculè, & conſultò fecit) illico ille in diverſum rapiebatur: Montisroſano, coram aliquando facilis, abſenti ſemper contrarius; nec ſibi ſatis conſtans.

Aboinius tamen, tum temporis (ut datæ fidei quomodocumque ſatisfeciſſe videretur) frequentibus à Montisroſano nunciis, & amicorum ſuorum precibus fatigatus; cum copiis, ſanè non ſpernendis apud Druminoram Forbeſii Reguli arcem, ſe illi conjunxit. Pedites ducebat mille & quingentos; equites verò trecentos: alacres omnes, & ad quodvis diſcrimen ſub Montisroſani imperio paratos. Et ſanè, ubi primùm congreſſi ſunt, Aboinius ultrò profeſſus eſt ſe cum his iturum, quocumque Gubernator duceret: longè verò plures (quos, pro anguſtiâ temporis, nondum coegerat) cum Ludovico fratre ſubſequuturos. Montisroſanus, plurimùm laudatâ ejus fide, & induſtriâ, eâdem fermè quâ venerat viâ iter repetiit; ut additis Areskinii, & Marrianorum copiis, ac ſuperato Grampio, in Atholiam, Anguſiamque deſcenderet. Nec dubitavit ante decimum, & quartum diem, cum valido exercitu Fortham trajicere. Primùm iter Aboinius cum ſuis alacriter confecit: at poſtridiè Ludovicus frater (cui Montisroſanus Crau-

Craufordiæ Comitem præfecit) cum valida equitum manu, quaſi hoſtium turmas aliquot aggreſſurus, noctu domum ſe recepit: ſub ſpecie præſidii, abductis quotquot potuit militibus. Craufordius reverſùs, Ludovicum ſuos petiiſſe ac poſtridie rediturum renunciavit; ſic enim ſimulabat ille, qui nihil minùs quàm de reditu cogitabat: juvenis, non hoc ſolo nomine famoſus. Ubi verò tertiis caſtris, ad Alfordiam ventum fuit, obſervatum eſt Aboinii milites ad conventum tardos, lentos in itinere, raris, & incompoſitis ordinibus incedere; & ſingulis fermè noctibus, caſtra deſerere turmatim: tandemque dux ipſe Aboinius veniam miſſionemque petere non erubuit. Mirantibus omnibus, & poſcentibus, quænam eſſet, mutati tam ſubito conſilii, ratio? regerebat ille paterna mandata; quibus ſibi omninò obſequendum foret. Nec patrem ejus ſine juſtâ causâ mandata ejuſmodi dediſſe: copias enim hoſtiles, in inferiori Marria conſidere, adeoque ſuis imminere cervicibus, ſi ſuorum præſidio deſtitueretur: inſipiens planè fore, ſi milites ſuos aliò traduceret, cum ipſe in præſenti verſaretur periculo. Montisroſanus ad iſta; ſatis conſtare aliquot tantùm hoſtium turmas

apud Aberdoniam ſe continere; pedites planè nullos: pauculos iſtos equites, nihil audere aut poſſe. Nec dubitandum eſſe quin primâ adventus ſui famâ, & illi etiam ad inferiora Regni tutanda à ducibus ſuis accerſantur. Longè verò meliùs Huntilæi rebus conſultum iri, ſi bellum in hoſtilem agrum transferatur, quàm ſi in ejus geratur ditione. Eòque magis ad meridiem feſtinandum, ut molem belli à ſeptentrione avertant. Addidit inſuper copias auxiliares indies expectari ab Anglia; quas ſibi adjungere nullâ ratione poſſent, niſi cis Fortham illis iretur obviam. Multâ denique cum miſeratione captivorum ſtatum expoſuit (quorum non pauci, ipſius erant Huntilæi affines, amici, & conſanguinei) omnes nimirùm, inhumanè trucidandos, niſi maturè eis ſubveniretur. Quibus, cum Aboinius quod reſponderet, non haberet; rem totam ad patrem deferri rogat, impetratque. Miſſi ad Huntilæum qui illi gratiſſimi videbantur, Donaldus Reſius Regulus, in cujus agro delituerat; & Alexander Iruinius junior de Drumma: qui non ita pridem Huntilæi filiam matrimonio ſibi junxerat. Uterque etiam Montisroſano, recenti recuperatæ libertatis beneficio, devinctiſſimus.

mus. Resius, verecundiâ repulsæ commotus, & ille reverti erubuit, Iruinius (adolescens generosus, & fortis, qui posteà Montisrosanum nunquam deseruit) nihil quàm literas soceri incertas & ambiguas retulit. Interrogatus verò quid de ejus voluntate sentiret; liberè, & ingenuè respondit; nihil certi ab illo renunciatum esse: nec à prava sententia dimoveri posse arbitrabatur. Aboinius se planè invitum à Montisrosano divelli præfatus: oportere tamen charissimo patri, eidemque valetudinario morem gerere, adeòque enixiùs Gubernatoris veniam postulare: paucorum dierum moram tolerandam esse, qùoad patris animum emolliret. Sanctè insuper pollicitus est, ante elapsas duas hebdomadas; se cum longè majoribus copiis subsequuturum. Cumque datâ sponte fide, illud se facturum sæpiùs confirmasset: à Montisrosano multum renitente, & admodum invito, missionem ad prædictum tempus obtinuit.

Aboinio ad suos reverso, Montisrosanus per edita Marriæ, & Schiæ tractum in Atholiam descendit: & inde, copiis paulò auctioribus, in agrum Perthensem, ubi, per nuncium novâ spe à septentrione erigitur, rogatus ab Aboinio ut se cum copiis ante præstitutum diem ex-

pectaret. Eodèmque tempore Thomas Ogilvius junior de Pouria, & Robertus Nesbittus centuriones, diverſis itineribus ad eum accurrunt: uterque à Rege miſſus cum mandatis, ut ſi omnino poſſet, Georgio Digbio Regulo, Briſtolienſis Comitis filio, cum equeſtribus auxiliis ad ſe miſſo non procul ab Anglicano limite feſtinus occurreret. Eoſdem nuncios Montisroſanus ad Huntilæum, Aboiniumque ablegavit, ut eadem mandata illis impertirent: ſic tandem fore ratus, ut Regiâ authoritate, & auxiliorum ſpe excitati, copias accelerarent; quarum inani ſpe jactatus, in tractu Iernæ diutiùs ſubſtitiſſet.

Naperius de Marchiſtona Regulus, integerrimæ vitæ, & feliciſſimi ingenii vir, generoſus, & verè nobilis, ac familiæ ſuæ perantiquæ princeps: patri avoque Naperiis (toto terrarum orbe celeberrimis Philoſophis, & Mathematicis) in aliis par; civili verò prudentiâ longè ſuperior: Regibus Iacobo, Caroloque gratus juxta ac fidus; ærario olim præfectus, & ad primæ nobilitatis evectus gradum: fidei in Regem, charitatiſque ergo, à conjuratis carcerem ſæpiùs, cum bonorum jacturâ paſſus: hiſce diebus in Atholia fatis ceſſit. Quem Montisroſa-

nus

nus puer, quasi indulgentissimum parentem, adolescens monitorum consultissimum, adultus verò fidissimum amicum semper coluit: ejusque mortem haud aliter quàm paternam tulit. Cujus de jure Regio, & tumultuum in Britannia Origine, eruditissimæ dissertationes, utinam aliquando videant lucem!

CAP. XVIII.

MOntisrosanus, cùm secundam & tertiam hebdomadam in itinere, & tractu Iernæ, Aboinium cum copiis ex septentrione oppertus fuisset: & perduelles in captivos atrociùs cæpissent sævire: ulterioris moræ impatiens, trajecto Forthâ in Leviniam descendit. Et in agris Iohannis Buchanani equitis, in illis partibus fœderatorum coryphæi consedit: sic fore ratus, ut propinquus Glascuæ; conjuratos, qui conventum ordinum suorum illic celebrabant, à captivorum absterreret cæde. Quem in finem equitatu quotidie, in civitatis conspectum invectus; agros hostiles impunè populatus est. Quamvis illi, pro Ordinum & civitatis præsidio, & tutela, tria equitum millia haberent in stationibus; nec ipse omnino trecentos, cum mille & ducen-

tis peditibus. At verò ante ejus in Leviniam deſcenſum, fœderati, ubi de alienato Huntilæi à Montisroſano animo audiviſſent; & quod Aboinius cum ſuis in editiore Marria ab eo deſciviſſet: tanquam ſequentis tragœdiæ prologum, tres egregios viros generoſos & fortes capite mulctarunt.

Eorum primus, Wilielmus Rollocus eques, ſæpiùs nobis laudatus, vir fortis & peritus, Montisroſano, à pueritia in paucis charus, & ad ultimum ſpiritum fidus. Huic ante alia crimini datum eſt, quod fœdiſſimo & nefando ſcelere, ſeipſum non polluiſſet. Enimverò ille, poſt pugnam Aberdonenſem amiſſus Montisroſano cum literis ad Regem miſſus, in hoſtes inciderat, nec deſtinatam evaſiſſet mortem: niſi Argathelio, Montisroſani vitam indignè licitanti, & opes, honores, dignitateſque longè maximas, pollicenti, intentatæ mortis metu, aſſenſiſſet; & patrandum parricidium, à quo toto animo abhorrebat, ſuſcepiſſet in ſe. Quâ arte, libertate donatus, ac vitâ, rectàque ad eum profectus, omnium illi indicium fecit; atque obſecravit, ut majori curâ ſibi præcaveret: non enim ſe ſolum, qui tam horrendum flagitium deteſtaretur, ſed & complures alios ingenti

genti pretio illectos; quorum plerique in hoc ſcelus, artem, operam, animoſque intenderent.

Secundus fuit Alexander Ogilvius antea etiam memoratus nobis, Iohannis de Innercarita Equitis primogenitus, antiquâ familiâ, & in Scotorum hiſtoriis celebri; adoleſcens adhuc (vixdum enim ad vigeſimum ætatis annum pervenerat) ſed ſupra annos fortis, & erecto ad ardua animo. Nec ſanè, quid huic objectaverint, vel conjecturâ aſſequi poſſum, præter novum illud & inauditum Majeſtatis crimen; debitam, nimirùm optimo Regi fidem, & obſequium. Verùm promptiſſimi adoleſcentis, & eo nomine formidandi ſanguine, Argathelio, Ogilviorum gentis hoſti inveterato, litandum fuit. Tertius Philippus Nesbittus Eques, & ipſe familię ſuę perantiquę, poſt patrem princeps; qui in Anglia, Regis auſpiciis, cum gloria militaverat, & ad tribunatum militarem fuerat evectus. Nec aliam ſanè (præter illud, ubi vera deficiunt, intentari ſolitum Majeſtatis crimen) illatæ huic mortis cauſam inveſtigare potuimus; quàm quòd virum fortem & induſtrium, atrociſſimas patri, & paternæ familiæ illatas injurias, olim vindicaturum malè ſibi conſcii metuebant.

Atqui verò illi fortiter & conſtanter, ut probos, & verè Chriſtianos viros decet, nobiliſſimo functi ſunt fato. Et his quidem meritò jungendi ſunt Hiberni duo, viri admodum generoſi & fortes, virtute ſuâ, juxta ac natalibus clari; O Cænus, Lachleniuſque tribuni militum: hoc ſolo nomine conjuratis inviſi, quod egregiam eorum fortitudinem toties experti fuiſſent. Edinburgi quidem Hiberni illi excarnificati fuêre; at Glaſcuæ complures alii ad ſimilem erant deſtinati pœnam: verùm vix expectatus Montisroſanus, & civitati ad pauca milliaria propinquus, hoc effecit; ut eorum ſupplicia in aliud tempus differrent. Nunciatâ iſtorum morte, vehementer commotus Gubernator, incertum eſt, hoſtiumne ſævitiæ: an amicorum ſeu ignaviæ, ſeu perfidiæ magis ſuccenſuerit. Præter enim Huntilæum cujus copias cum Aboinio filio tamdiu fruſtra expectaverat; & ipſe etiam Makdonaldus (de quo optima quæque ſperaverat) ſæpiùs accerſitus, & invitatus etiam vicinitate loci: quamvis dies à ſe dictus jampridem elapſus eſſet, nullam properantis ſpem faciebat. Hebdomadæ ſex jam præter ierant, ex quo Aboinius pro copiis ſeptentrionalibus fidem fecerat; & hiems (quâ atrociorem

ciorem ætas noſtra nullam vidit) hactenus ingraveſcebat. Repulſi etiam, quos Rex miſerat, duce Digbio Regulo, auxiliarii; quibus omnibus mederi facilè potuiſſent & univerſum Regnum denuo in ordinem cogere: ſi egregii illi patroni, in optima cauſa non fuiſſent prævaricati. Tandem ergo XII. Kal. Dec. Montisroſanus Leviniâ digreſſus, per Taichiæ montes altis nivibus coopertos, ſaltuſque lacuſque, quorum nomina nobis haud occurrunt, emenſo Iernæ tractu, & trajecto Taô, in Atholiam demùm reverſus eſt. Obvios hîc habuit, Ogilvium, & Nesbittum centuriones, quos cum mandatis Regiis, ad Huntilæum legaverat. Et illi virum contumacem, & inexorabilem renunciant; qui nullam eis fidem habuerit, Regiſque mandata exponentibus, faſtidioſè reſponderat; omnia Regis, ſibi, quam illis, aut ipſi Gubernatori perſpectiora: nec ſe, aut Filios ſuos ullam cum eo ſocietatem inituros. Amicos inſuper clienteſque, qui Montisroſano ſponte operam locaverant, acerbè, & minaciter increpare: duriùſque cum illis quàm perduellibus agere. Quæ tamen omnia diſſimulanda, tolerandaque exiſtimavit Gubernator; dumque cum Atholiis de ratione militiæ iſtius

provinciæ tranſigit, ad Huntileum denuò, Iohannem Dalyellium Equitem, quaſi magis idoneum amicitiæ internuncium transmiſit: qui de Regis, Regnique diſcrimine, adeoque ipſius & omnium fidelium ſubditorum præſenti periculo doceret: & oculis ejus ſubjiceret non alius quàm ſuâ, filiorumque culpâ accidiſſe, quum quòd auxiliarios à Rege miſſos in Scotiam non intuliſſent, tùm quòd captivi, viri fortes & fidi, crudeliter fuiſſent mactati: ſupereſſe adhuc plures, ipſi Huntilæo conjunctiſſimos, & quoſdam etiam primæ nobilitatis viros, quos perduelles eodem planè modo trucidaturi eſſent, niſi jam tandem ſubveniretur. Rogare denique & obteſtari, ut ad amicum ſaltem colloquium cum Regio Gubernatore deſcendat: & ſpondere, eum illi abundè ſatisfacturum.

Huntilæus, cum ad alia Dalyellio ſolitâ pervicaciâ reſpondiſſet, omnium maximè, à colloquio abhorrebat: utpotè tanti hominis (quam quod ad ejus argumenta, rationeſque reſponderet, non haberet) præſentiam, fiduciam, & prudentiam extimeſcebat. At Montisroſanus, rebus in Atholia conſtitutis, ne quid intentatum relinqueret, quod aliquando eum ad ſaniorem reduceret mentem:

tem: dissimulatis injuriis, & coacervatis officiis, beneficiisque, occupare illum, & vel cum invito gratiam inire; & de his, quæ in rem Regiæ Majestatis facerent, transigere decrevit. Mense ergo Decembri ægrè admodum amnes, torrentesque, gelu quidem constrictos, sed nondum tantoperè concretos, ut ferendis corporibus pares essent; montium juga, præruptasque rupes, & altissimas nives eluctatus est: & peragratâ Angusiâ, superatoque Grampio, copias in septentrionem traduxit. Et tantùm non improvisus, cum paucis in Strathbogiam, ubi Huntilæus degebat, contendit. At ille inexpectato ejus adventu perculsus, ubi primum de eo nuncium accepit, ne invitus ad colloquendum pertraheretur; illico ad Bogiam arcem suam, juxta Spææ ostium sitam, transfugit; quasi amnem trajecturus esset, & suis auspiciis in Moravia adversus conjuratos gesturus bellum.

Animum jam subit, paucis indagare, unde tanta adversùs Montisrosanum contumacia incesserit Huntilæo, nullâ ab eo injuriâ; sed è contra omni honore, & officiis plerùmque indebitis lacessito. Nec sanè aliud quidquam, famâ traditum, vel conjectura assequi possum

ſum præter impotentem tam eximiæ gloriæ non æmulationem, ſed invidiam. Neutiquam enim alienatum ejus à Rege, ſed inimicum Montisroſano animum dixerim; cujus injuſto accenſus odio, ſe in tot abſurdos præcipitaverit errores: adeo ut omnia perditum iri, quàm Montisroſani operâ, & cum ejus laude reſtitui maluerit. Iamque flagrantem impotenti ſuperbiâ mentem, plùs nimis accendebat conſcientia injuriarum, & contumeliarum, quibus hactenus eum affecerat: eaque principalis cauſa (niſi ego fallor) fuit, quòd illius adſpectum toties evitaverit. Præter enim ea quæ nobis antehac commemorata ſunt, nec pauca, nec levia in Regium Gubernatorem pater, filiique peccaverant; quorum pauca percenſere, ab inſtituto noſtro non erit alienum.

Majora bellica tormenta, quæ ſuperiore anno à Montisroſano humo condita meminimus; illi inconſulto eo, effoſſa, triumphantibus ſimiles, in arcibus ſuis diſpoſuerant, quaſi detracta hoſtibus ſpolia; nec poſtea repetita reddidêre. Atqui verò illa in Perthenſi, & Aberdonenſi pugnâ acquiſiverat Montisroſanus; quarum priori, nullus ex ea familia interfuerat: in altera verò, Ludovicus cum

cum ſuis adversâ in acie militaverat. Pulverem deinde tormentarium, arma, aliaque belli inſtrumenta hoſtibus direpta; & in arcibus ſuæ poteſtatis, tanquam in locis tutis, & idoneis depoſita; ſic ſibi vindicarunt, ut nec minimæ partis copiam repoſcenti fecerint. Ad hæc Aboinius in reditu poſt victoriam Kilſythinam, Kethum Comitem, ſupremum Scotiæ Mareſchallum (ut loquuntur) Arbuthnotum Vice-comitem, alioſque inſignes in hoſtibus viros, in poteſtatem ſuam redactos; inconſulto Regni Gubernatore, & multùm refragrante Drummio juniori, leviro ſuo (qui forte aderat) liberos dimiſerat. Quibus conditionibus id fecerit, incertum eſt; hoc tamen certò conſtat, præter contumeliam Gubernatori factam, arciſque Dunotriæ, ſanè munitiſſimæ, & magni ad illud bellum momenti, jacturam, aliaque emolumenta militiæ inſuper habita: nunquam auſuros fuiſſe conjuratos tam crudeliter in captivos graſſari, ſi iſtos ſaltem in cuſtodia detinuiſſet. Privatâ inſuper authoritate ſuâ, tributa, vectigalia, & ſubſidia exigebat (quod Gubernator ipſe nunquam fecerat) ſpecie quidem promovendæ militiæ; reipſâ tamen longè alios in uſus, & in maximum cauſæ Regiæ de-

detrimentum. (Denique quod omnium maximè deplorandum eſt) captivos ex hoſtibus ſuperioribus in ſeptentrione victoriis acquiſitos, & in arcibus ſuis cuſtodiæ mandatos; alios hoſtili prece, alios exiguo admodum pretio libertate donarunt. Nec eos Montisroſano permisêre, quos ipſe bello captos, in eum omnino finem ſervaverat ut hominum meritiſſimorum capita, illorum commutatione redimeret. Quorum omnium conſcientiâ agitatus, Montisroſani congreſſum, non aliter, quàm peſtem averſabatur ſemper Huntilæus.

At ille nihilominus, neglectis injuriis, rebuſque aliis omnibus poſthabitis, in promovendo Regis negotio totus erat. Et in eum finem colloquium extorquere vel invito, amicitiam quibuſcunque inire legibus, in omnibus conſentire, & nihil non indulgere ſtatuit; quo ægrum Huntilæi animum poſſet emollire. Copiis ergo in ſtationibus relictis, cum paucis equitibus ſummo manè Bogiam advolavit; omnemque fugæ, aut ſeſe occultandi rationem, improviſâ celeritate prævenit. Ubi verò congreſſi ſunt, Montisroſanus præteritorum immemor, leni & blandâ oratione, ad belli ſocietatem pro Regis, Regnique incolumitate invitavit;

illi-

illique tam abundè in omnibus ſatisfecit; ut quaſi tandem victus, manus tendere viſus fuerit. Nec ſanè copias modò ſuas; ſed & ſeipſum illis ducem fore pollicitus eſt, & primo quòque tempore adfuturum. Poſteà de belli ratione, in communè conſuluêre; convenitque ut Huntilæus trajecto Spæâ, per oram Moraviæ littoralem dextrum iter; Montisroſanus verò per Spææ tractum, ſiniſtrum, & illâ tempeſtate longè difficillimum carperet: undique ſcilicet Innerneſſum hoſtile præſidium oppugnaturi: & interim Seafordium Comitem, vel ſponte, vel invitum, & reluctantem ad partes pertraherent. Præſidium illud, ut ut alioquin probè munitum videri poſſet; commeatuum tamen aliarumque rerum inopiâ laborabat: cui propulſandæ, neceſſaria, rigidiſſimâ hieme, & procelloſo mari, non adeo facilè ſubminiſtrari poterant. Adeoque jam in omnibus conſenſiſſe videbantur; ut Aboinius & Ludovicus fratres, omnibus diris ſe devoverint, niſi Montisroſano conſtantes in obſequio, & ſanctiſſimâ amicitiâ, ad ultimum vitæ ſpiritum perſtarent. Gordonii verò aliique Huntilæi amici, incredibili lætitiâ diffuſi patrono ſuo, & familiæ principi, quaſi ab inferis reverſo gratulabantur.

CAP. XIX.

CAP. XIX.

MOntisroſanus Huntilæi animum tandem mitigatum, & ad belli ſocietatem ſeriò capeſſendam, confirmatum ratus; copias ſuas per Spæ amnis tractum, Innerneſſum verſùs perduxit. Quò verò hoſtes undique ſuſpenſos teneret, Patricium conſanguineum, antea non ſemel laudatum nobis, & Iohannem Drumondum de Balla juniorem (generoſum, & probatæ fidei, fortitudiniſque virum qui, ſæpiuſculè ſtrenuam operam navaverat) cum imperio, & mandatis ad Atholios miſit: ut ſi qui in illis locis, tumultuarentur, occaſionem rei benè gerendæ non prætermitterent. Quorum authoritate, & exemplo, Atholii excitati, promptos ſeſe alacreſque exhibuêre. Nec ſanè diu illis occaſio defuit, enimverò Argatheliorum ſuperſtites, ſeu rerum omnium in ſuo agro penuriâ, ſeu prævalidi, & extrema minitantis Makdonaldi metu, & potentiâ extorres; in Makgregorios, & Maknabios, qui Montisroſano favebant, invecti ſunt. Et junctis ſibi poſtmodum Stuartis qui Balwidriam incolunt, & Meneſiis, aliiſque montanis, qui adhuc Argatheilii ſeque-

quebantur fortunam ; ad mille & quingentos contraxiſſe dicebantur: Atholiam etiam invaſuri , niſi illis maturè iretur obviam. Et ſanè hactenus inſulam in Tochertæ lacu ſitam , vi captam , direptamque concremaverant ; & in Amplæ amnis tractu, ejuſdem nominis caſtellum obſidione cinxerant. Quæ , ubi primùm nunciata fuere, Atholii numero duntaxat ſeptingenti , eiſdem Græmo , Drumondioque ducibus , ne hoſtes in agros ſuos irrumperent, prævertendos omnino cenſuêre. Illi , Atholiorum famâ perculſi, ſolutâ Amplæ obſidione , Taichiam verſùs ſeſe recepêre. Eos Atholii acriter inſequuti : non procul à Kalendaria Taichiæ arce , inſtructos ad pugnam offendunt. Enimverò vadum amnis occupaverant ; & adverſam ripam , edito colle munitam , frequentibus ſclopetariis muniverant. Quæ cum Atholii conſpexiſſent , & numerum , paulò minorem , quàm fama divulgaverat (non enim mille & ducentos excedebant) quamvis & ipſi vix ſeptingenti forent , ducum præſertim fiduciâ & hortationibus animati : non excipere , ſed ultro inferre , prælium decrevêre. Centum ergo expeditos milites , quaſi ad vadi illius præſidium ex adverſo hoſtibus objiciunt : cæteri ad

aliud

aliud vadum arci vicinum properant; ut illic fluvium trajiciant. Argatheliani, ubi Atholiorum alacritatem perſenſerunt, ſeſe illico Sterlinum verſùs recepêre. Et Atholii primùm illi, qui ad vadum inferius ſtabant, deſertam ab hoſtibus ripam occupant; & mox extremum abeuntium agmen carpunt, convellunt trudunt: & cæteri inſequuti, omnes in fugam conjiciunt. Cæſi traduntur octoginta; cæteri fugâ ſibi conſuluêre. Quibus ſaluti fuit, quòd manè illius diei, Atholii iter non minùs impeditum & arduum, quàm longinquum, utpotè decem milliarium confeciſſent; equiteſque omnino haberent nullos. Illi verò re bene geſtâ, ad ſuos rediêre.

Celebrabant per eos dies conjurati conventum ſuorum Ordinum Andreapoli, quam innocuo, utinam non vocali, ſanguine virorum æternam merentium laudem profanarunt. Erant inter captivos, vel ex perduellium odio viri clariſſimi (non enim illi niſi in optimi cujuſque capita ſæviebant; à quibus verò, non adeò ſibi metuerent, bonorum confiſcatione mulctare ſatis habuerunt) Ogilvius Regulus, Robertus Spotſwodius Eques, Wilielmus Moravius adoleſcens nobilis, & Andreas Gutheræus generoſus,

sus, fortis, & manu promptus, quos in illa civitate mactare decreverant; ut eorum sanguine provincialium manibus parentarent: quorum supra quinque millia, variis in præliis cecidisse tradebantur. Quoniam verò, non Lege, sed suâ tantùm libidine, in eos erant animadversuri; ad solitas artes recurrunt, immani sævitiæ Religionem prætexentes. In quem finem, vates, prophetasque suos Kanteum Blairiumque & alios simili spiritu agitatos; coram populo producunt: qui sublimes in pulpitis, cruenta depromant oracula. Poscere scilicet Deum istorum sanguinem; nec aliter gentis peccata expiari, & averuncari posse numinis vindictam. Et hâc arte præsertim, vulgi animos, alioquin ad miserationem pronos, tanquam in sacros, devotosque irritabant: quasi legum humanarum authoritas, aut patrocinium illis omnino nullum esse debeat; quos ipsum numen deposceret. Nec dubitârunt egregii illi, arcanorum cælestium interpretes, & arbitri; hominum animas cum corporibus æternis pænis addicere. Cumque hâc ratione vulgum pervertissent: facilè fuit iisdem delatoribus pariter, ac judicibus, homines innocuos, sed omni patrocinio destitutos damnare.

Verùm

Verùm Ogilvius, qui non modò nobilitate, & potentiâ eminebat; ſed & maternum genus ducebat ab Hamiltoniis, Lindeſique erat conſobrinus: cum valetudinem infirmam ſimulaſſet, difficulter impetravit, ut mater, conjunx, ſororeſque ægrum in carcere viſitarent, & ſolarentur. Hoc verò ubi obtinuit, cum cuſtodes, nobilium fæminarum verecundiâ, cubiculo ſe ſubduxiſſent: ille confeſtim amiculum muliebre ſorori detractum, ſibi impoſuit, omnique mundo ornavit. Illa etiam pileolo, quocum æger in lecto dormitare ſolitus erat, caput ſuum circumdedit: & fratrem ſimulans decubuit. Multâ denique ſalute, obortis lachrimis, invicem impertitâ: horâ noctis octavâ, ipſos cuſtodes, faces, ceteroſque prætendentes, ſororis ſpecie, formâque fefellit. Et confeſtim urbe digreſſus, equos (quos ad hoc habuit paratos) cum duobus aſſeclis conſcendit: ac ante lucem matutinam in tuto ſe collocavit. Ubi verò, poſtero demùm die, deprehenſa fraus fuit ab oculatiſſimis cuſtodibus; Argathelius, vindictæ, iræque impotens, nobiliſſimas fæminas, & hac ipsâ pietate, & induſtriâ, inclitas, ad pœnas depoſcere non erubuit: ſed fruſtra. Illæ enim æquitate cauſę, longè vali-

validiores patronos, Hamiltonios Lindesiumque invenêre : quibus conniventibus, personatos istos totam egisse fabulam complurium opinio est : equidem in re incerta, judicium non interponam.

Ogilvius quasi è manibus eorum ereptus, conjuratos vehementer perculit ; ac penè in furorem, rabiemque vertit : unde factum fuit, ut properè de reliquis supplicium sumerent. Primus autem catastam, generoso sanguine, cruentavit Nathaneel Gordonius, militum tribunus ; corporis formâ, animique dotibus insignis. Qui morti propinquus, adolescentiam suam secius, quam fas foret, exactam ; multis, & acerbis deflevit lachrimis. Cum verò jam morituro, libellum, quo pœnitentiam suam testaretur, chirographo signandam obtruderent ; ille nihil cunctatus subscripsit : simulque Deum, Angelos, & præsentes est attestatus, si quæ essent in illa chartula descripta Regi, ejusve Majestati, aut authoritati contraria, se illis minimè consentire. Solutus deinde anathematis sententiâ, quâ, propter adulterium pridem commissum perculsus erat ; cum maximâ spectantium miseratione, cervicem securi præbuit : vir huic culpæ obnoxius ; sed fortitudinis, & milita-

ris peritiæ gloriâ, tam apud exteras gentes, quàm domi clarus.

Secundus in eandem cataſtam, tepenti adhuc Gordonii cruore madeſcentem, productus eſt vir æternitati dicatus, Robertus Spotſwodius; Iacobi, Caroliqué Regum gratiâ, quàm eximiis virtutibus promeruerat, ad ſupremos honores evectus; Eques, Senatorque à Iacobo renunciatus; ſupremæ curiæ præſes, & non ita pridem, in Scotia ſupremus ejus Secretarius (ut loquuntur) à Carolo conſtitutus. Hunc ſummum virum (quamvis, quod objicerent, in omni vita, ipſi actores nihil haberent) Majeſtatis reum peregerunt: quod & eò lugendum magis, quia armatus contra eos nunquam ſtetiſſet: quippe qui pacis artibus clariſſimus, ad militiam non admoviſſet manum. Hoc ergo ſolo nomine in eum animadverterunt, quòd ex Regis mandato, diploma ejus ad Montisroſanum detuliſſet, quo ille Regni vicarius Gubernator, & ſupremus militiæ prefectus, creatus erat. Atqui verò, ſe hoc more Majorum, & ex legum præſcripto feciſſe, multis ille demonſtravit. Et ſanè aliis, præterquam judicibus (quos inſenſiſſimos hoſtes, & vitæ ejus inhiantes, conjurati dederant) elegantiſſimâ defenſione ſatisfeciſſe videbatur;

debatur: adeo ut ambiguum non sit, tristem illam sententiam nunquam fuisse laturos; si vel leviſſimam habuiſſent æqui bonique rationem. Verùm, ut dicam quod res est, virum optimum perdidit, invidia major, quam ut exſuperandæ illi, innocentia ejus par foret. Enimverò Lanricensis Comes, pridem in Regno Scotiæ ſupremus Secretarius cum ad conjuratos defeciſſet, clementiſſimum, & in univerſam Hamiltoniorum gentem beneficentiſſimum Regem compulit, ut dignitatem eam ingrato homini adimeret, inque alium conferret: nec quiſquam Spotſwodio dignior viſus est quem ampliſſimo honore ornaret. Atque hinc illa vindictæ invidæque moles, cui cum hic non ſufficeret, ſuccubuit.

Iamque moriturus Spotſwodius, quum de ſolita gravitate, & conſtantia nihil remitteret; ad populum, more patrio, verba faciebat. Verum ſacrilegus iſte Blairius, qui ſupra cataſtam invito adſtabat, facundiam, fiduciamque viri tanti veritus: ne arcana rebellionis, ex venerando ore, ad populum emanarent: qui morientium voces avidiùs accipere, & pertinaciùs meminiſſe ſolitus est: os illi obturandum, per urbis præfectum, eundemque olim paternum Spotſwodii

clientem curavit. Quam ille insolentem injuriam nihili reputans, sermone ad populum omisso, in orationibus, & precibus ad Deum immortalem totus erat. Interpellatus denuò, & nimis importunè, ab eodem molestissimo Blairio, an & se quoque, cum populo, pro salute animæ ejus, precibus apud Deum vellet intercedere: respondit, populi quidem supplicationes & vota, se imploraturum; cum ejus verò impiis planè, & Deo abominandis orationibus, nihil sibi commune esse. Addiditque insuper, malorum quibus offensum Numen gentem istam afflixisset, longè maximum; ferro, flammâ, pestilentiâque gravius esse: quod propter peccata populi, spiritus mendaces, in ora prophetarum immisisset. Quâ liberrimâ, simul & justissimâ voce, correptus Blairius, usque adeo excanduit; ut à scurrilibus convitiis, in patrem ejus jam pridem demortuum, & ipsum jam nunc moriturum sibi non temperaret: egregius scilicet Christianæ longanimitatis, & patientiæ præco. Ea tamen omnia Spotswodius ad altiora intentus, æquo animo, & cum silentio despexit. Cumque jam interritus, nec quidquam in vultu, aut ore mutatus, cervicem plagæ fatali præberet, novissima ejus

vox

vox fuit: *Clementißime Ieſu, collige animam meam, cum ſanctis tuis, & martyribus; qui mihi in decurrendo hoc ſtadio prægreßi ſunt.* Et ſanè, cum non tantùm propter fidei confeſſionem; ſed & quamqunque virtutem quâ viri ſancti fidem ſuam atteſtantur, ſubeatur Martyrium: quin eandem ille coronam adeptus ſit, non eſt dubitandum.

Et hunc demùm exitum, bonis omnibus luctuoſum, at ipſi maximè honorificum, ſortitus eſt vir rerum divinarum humanarumque ſcientiâ, linguarum, præter Europæas, Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæque, Hiſtoriarum, Iuriſprudentiæ & politicarum artium peritiâ clariſſimus, integritate morum, fide, æquitate, & conſtantiâ, patriæ, ſæculique decus & ornamentum: ſibi ſemper conſtans, & æquabilis; cujus nec pueritiæ adoleſcentiam, nec adoleſcentiæ provectiorem ætatem puderet: antiquæ pietatis, intimo animo, ſeverus cultor: nec tamen apud alios oſtentator vanus & ſuperſtitioſus: conciliandis amicitiis facilis juxta ac conſervandis pertinax: quique jam mortuus maximum ſui deſiderium pleriſque etiam fæderatis reliquit. Exanimum corpus, Hugo Scrimigerius, patris ejus olim cliens, pro temporum ratione curatum, privato funere extulit: nec ipſe tanto mæ-

rori diu ſuperſtes. Paucos enim poſt dies, cataſtam illam cruentam, nondum loco motam conſpicatus; illicò correptus eſt animi deliquio: & à ſervis, viciniſque in ædes ſuas portatus, in ipſo limine exſpiravit.

Spotſwodio denique ſimilis fati comitem dant Andream Guthereum, meritiſſimi Epiſcopi Moravienſis filium, & eo etiam nomine conjuratis inviſum: Juvenem, non minùs in bello fortem; quàm conſtantem in perferendâ, ſpernendâque morte. Hic minis, convitiiſque ab eodem Blairio impetitus, reſpondit; Ampliorem ſibi honorem habēri, nullâ ratione potuiſſe: quàm quòd honeſtiſſimam pro optimo Rege, & juſtiſſimâ cauſa oppeteret mortem: quam intrepidè amplexurum præſentes cernerent; & poſteri forſan ſint prædicaturi: de peccatis ſupplicem clementiſſimi domini Dei miſericordiam implorare, veniamque deprecari: de hoc verò cujus reus erat peractus, ſe eſſe ſecurum. Atqui hunc quidem in modum, conſtanter, ille fortiterque fato functus eſt: vir, ſi ſic Deo opt. max. viſum fuiſſet, longiori dignus vitâ.

Utque jam, magnâ ex parte peractæ tragœdiæ finem imponerent, poſt interjectam

jectam bidui moram, Wilielmum Moravium, Tullibardini Comitis fratrem adoleſcentulum planè eodem protrahunt. Et quidem omnibus inſtar miraculi erat, fratrem ejus; qui gratiâ, & meritis, inter fœderatos eminebat; pro unici fratris germani incolumitate, & vita non interceſſiſſe. Alii ignaviæ, avaritiæ alii, fraternis bonis inhianti, alii ſtupidiſſimæ ſuperſtitioni imputabant: & ſanè omnes, etiam fœderati ipſi, inhoneſtum, & viro nobili indecorum ſilentium damnabant. At adoleſcens ipſe vixdum decimum & nonum ætatis annum egreſſus; honeſtâ planè & decorâ morte, æternam ſibi apud poſteros memoriam famamque acquiſivit. Inter pauca illa quæ ad populum profatus eſt; iſta altiori voce prolata, qui audiverunt, nobis retulêre: *Reputate populares mei, familiæ Tullibardinæ, & univerſæ Moraviorum genti, novum, idemque eximium decus hodiè additum eſſe; quod adoleſcens, antiquâ illâ proſapiâ oriundus, lætus, hilariſque pro patre patriæ, & in familiam noſtram munificentiſſimo Rege, in ipſo juventæ flore, innocentem, quòd ad homines ſpiritum reddo. Nec venerandam parentem, chariſſimas ſorores, conſanguineos, amicoſve alios vitæ meæ brevioris pæniteat; quam mors honorificentiſſima decorabit. Orate pro animâ mea, & valete.*

CAP. XX.

MOntisroſanum, amicorum caſus, ut par erat, vehementiùs commovit; firmam tamen, certamque pectoris conſtantiam convellere, & ſubvertere non valuit. Nec ſanè aliàs generoſus ejus animus, & ſupra communem ſortem evectus; clariùs reſplenduit: non enim defuêre plurimi, indignâ ſuorum morte irritati, qui ægrum recenti injuriâ, ad præſentem vindictam ſtimularent. Cumque, juſto quamvis dolori plùs nimis indulgerent; & omnino æquum, utpotè Talionis legem, poſtulare ſibi viderentur: querelis multis, moleſtis, & importunis imperatorem fatigârunt. Indignabantur quippe, ſocios, amicos, conſanguineos, digniſſimos fortiſſimoſque viros, de patria, de Rege, de ipſo Gubernatore optimè meritos; contra datam fidem, conſuetudinem belli, leges patrias, ipſaque gentium & naturæ jura, impunè trucidari: contra perduelles à ſe bello captos, non tam carcere quàm amico hoſpitio detineri, exultare, lætari, & dolori eorum illudere; adeoque ut fontes ad pœnas depoſcere: nec aliter hoſtes, ab infanda ſævitia, deterreri, nec ſuorum animos confirmari & erigi poſſe. Quos

ille

ille blandâ oratione exceptos, ob charitatem in suos laudavit; *vindicandosque omnino dixit egregios illos & innocentes cives: sed eo, quo viros probos, forteſque deceat, modo: non ſcelere, & flagitjis, prout illi; ſed verâ virtute, apertoque bello. Perdomandos eis, non in impietate imitandos ſceleſtiſſimos hoſtes. Nec, rem recte reputantibus, æquum eſſe, ut qui apud ſe captivi eſſent; adeoque ſuorum parricidii ne conſcii quidem, aliorum peccata innocentes luant. Fidem illis datam, rem eſſe ſanctiſſimam, & in hoſte etiam ſervandam. Nunquam eos in ſe admiſſuros, quod in hoſtibus abominarentur. Tempus aſſore, quo, juſtiſſimo Deo, ejuſque in illis locis vicario, Domino Regi, meritas daturi eſſent pœnas. Interea verò, capita noſtra licitentur, Aſſaſſinos conducant, immittant ſicarios, fidem faciant, fallantque, nunquam tamen efficient, ut æmulatione ſcelerum, ac non ſolâ virtutis gloriâ, cum illis contendamus.*

Huntilæus verò, cui nihil minus in animo fuit, quàm quòd præſenti Montisroſano promiſerat, trajecto Spæâ, Moraviam ingreſſus, procul Innerneſſo, tempus tantummodò, vireſque inutiliter, & indecorè terebat. Enimverò prædæ, ſpoliiſque nimiùm intentus, cum agros eſſet populatus; incertâ famâ accepit, provinciales aurum, argentum, & pretioſiora quæque in quibuſdam turriculis, &

obſcuris arcibus condidiſſe. Quas dum ille fruſtra oppugnat, nec ullis mandatis, precibuſve ab inſtituto dimovetur: hoſtes immiſſo commeatu, (quâ parte arcere illos in ſe ſuſceperat) Innerneſſum, rerum omnium copiâ confirmarunt. Quod ſi ille impediiſſet, ut cum Montisroſano pactus fuerat; præſidiarii, brevi ſpatio, fuiſſent ad deditionem compulſi. Cumque jam nuncium accepiſſet Montisroſanus Mideltonium hoſtilis exercitus præfectum cum equitibus ſexcentis, & peditibus octingentis Aberdoniam uſque veniſſe; & Huntilæi, Gordoniorumque agris populandis imminere: Wilielmum Stuartum, militum tribunum ad Huntilæum miſit, qui cum denuò ad Innerneſſi obſidiouem, ſecundùm pactam fidem, invitaret. Sin hoc illi minùs arrideret, propter vicinum agris ſuis hoſtem; perſuaderet ſaltem, ut junctis cum eo copiis, unà in illum confeſtim tenderent: quem levi diſcrimine debellandum fore non dubitaret. Ad quæ ille contemptim reſpondit; ſe rebus ſuis conſulturum; nec ad arcendos finibus ſuis hoſtes, operâ, aut auxilio Montisroſani indigere. Poſt decem denique hebdomadas, in obſcuræ cujuſdam turriculæ obſidione conſumptas, promptiſſimo quoque ſuorum mili-

tum

tum desiderato, re infectâ, obsidionem solvere cum summo dedecore coactus fuit. Nec tam in Montisrosani, quàm Regiæ Majestatis contumeliam, ad Spæam amnem, nec consulto, nec conscio Gubernatore, retro cessit: pessimo omnibus exemplo, qui frequentes, nec sinè animi ardore, ad partes Regias sese accingebant.

Inter quos, opibus, potentiâ, & satellitum, clientumque multitudine eminebant Seafordius Comes, Resius Regulus, & ab ultimis insulis Iacobus Makdonaldus Eques, potentissimæ in montanis, antiquissimæque familiæ princeps, Maklenius, Glengarius, Makranaldorum (ut illi loqui amant) dux, aliique plurimi; qui hactenus in Montisrosani castris, alii cum copiis suis erant, alii suas accersiverant. Atque adeo ante elapsum mensem Martium in inferiora Regni descendere potuisset Montisrosanus, cum longè majoribus copiis, quàm hominum memoriâ eduxissent Scoti. Verùm insperata tanti viri defectio, non minùs animos perduellibus ad perseverandum in rebellione addidit; quàm viris probis, & in Regem pronis, offendiculo fuit, ac terrori: unde factum est, ut illi quorum copiæ in castris jam erant, clam se sub-

ducere, cæteri verò moras, cauſaſque nectere inceperint. Quæ quidem omnia, Montisroſanum ad nova redegerunt conſilia. Statuerat enim (quando lenitate, & officiis apud homines pleroſque vanos, leves, incertos, nec ſibi ſatis conſtantes, parùm proficeret) authoritate, vi armorum munitâ, & pœnarum ſeveritate, ad obſequium pertrahere: & in eum finem, cum fidiſſima, & promptiſſimorum militum expedita manu, montanos omnes, & ſeptentrionales, vel invitos ad militiam cogere. Plurimos enim provinciarum præfectos, principes familiarum, ducesque ſibi obnoxios habebat; quibus pergratum fore hoc conſilium probè noverat. Nec dubitavit Gordoniorum præcipuos, potentiſſimoſque viros, utpotè patroni ſui pertæſos; operam ſibi locaturos, vel contra Huntilæi ſententiam, ſi res ita poſtularet. Mitiora tamen quæque experiri priùs ſtatuit; quàm ſeverum illud, & ultimum adhiberet remedium.

Quoniam verò, Innerneſſum erat totius ſeptentrionis præſidium, maximi ad bellum momenti; portuſque excipiendis auxiliis externis commodiſſimus: nihil æque in votis habebat, quàm ut illud in ſuam redigeret poteſtatem: Cum copiis igitur, quas apud ſe habebat, obſidione illud

illud cinxit. Hostilis enim exercitus sub Mideltonii imperio, supra octoginta milliaria aberat; & Huntilæus, Gordoniique, in medio itinere, sub signis interjecti erant. Montisrosanus propterea denuò cum Huntilæo egit, ne tempus inutiliter tereret: sed prout convenerat, ad obsidendum Innerneſſum, copias cum suis jungeret: vel saltem non procul à Spæâ contineret, quà hostibus trajiciendum foret, eosque transitu arceret, si ad solvendam obsidionem progrederentur, aut ubi trajeciſſent, junctis secum viribus, eosdem debellaret. Ad omnia ille, usque adeo contumelioſè respondit, ut Gubernator omnem de eo spem ponere coactus fuerit: cautiùsque sibi prospiciendum censuerit, ne tandem ab eo proderetur. Enimverò Huntileo diffisus, turmas equitum tres, ad vada Speæ remisit; qui hostes sedulò observarent, & si adventarent, frequentes certosque mitterent nuncios. Et illi sanè occupatis ad speculandum commodiſſimis stationibus, diligenter invigilarunt: quoad Ludovicus Huntilæi filius, qui Rothusiam arcem cum præsidio tenebat, facinus, omnibus quæ hactenus patraſſet, magis pudendum, commentus est. Præfectis equitum illorum, quos ad observanda Spææ vada Montisrosanus

collocaverat, fidem fecit hoſtes quàm longiſſimè diſſitos, nihil minus in animo habere, quàm ad ſolvendam obſidionem amnem transmittere: atque adeo eis (qui amiciſſimum illum, fidiſſimumque putarent) perſuaſit, ut poſthabitâ, ad quam deſtinati erant, inutili ſpeculatione, ad arcem ſuam, reficiendis corporibus ſe reciperent: & ad convivium, quod in eorum gratiam inſtruxerat, blandiſſimis verborum lenociniis invitavit. Et illi quidem malè creduli ad eum profecti ſunt. Quos prolixâ benignitate proſequutus, præter nimis opiparas dapes, vinum, & quam vocicant, vitæ aquam largè promi juſſit. Multiſque facetiis, & operosâ humanitate, tantiſper detinuit, quoad Mideltonius cum validiſſimo equitum, peditumque exercitu, Spæam transmiſit, longèque penetravit in Moraviam. Quod cum reſciviſſet, eos tandem dimiſit, & cum cachinno his verbis valedixit; Ite, inquit, ad imperatorem veſtrum Montisroſanum, ferociùs nunc, quàm in clade Selkirkanâ invadendum. Hoſtes interim rectà in Montisroſanum, & celeriter tendebant; quos, equites illi ægrè pretervecti, ſimul fermè cum illis, Innerneſſum pervenêre, adeo ut primi agminis hoſtilis ſpeciem præ ſe ferrent:

eos

eos verò universæ Mideltonii copię intra tormenti jactum insequebantur. Verùm, sic providente benignissimo numine, Montisrosanus aliundè monitus; hostilem adventum præsenserat: paululùmque ab urbe digressus, copias coëgerat in unum. Atque ubi hostes, equitatu multis partibus superiores est conspicatus: evitatâ planicie, se cum suis trans Nessum recepit. Hostes, in postremum invecti agmen, & fortiter excepti; sese etiam continuêre. Perexigua, ac utrinque fermè par fuit jactura. Montisrosanus præter Beuliam, in Rossiam profectus est: quò insequuti illum sunt hostes, ut in planicie, iniquo solo deprehensum, ad conserendas manus cogerent vel invitum. Verùm præter hostium vires suis longè majores, locorum incolæ infidi, & inconstantes; & novi illi cum Seafordio auxiliarii catervatim signa deferentes, eum commoverunt; ut quàm primùm seque suosque ab hostili expediret equitatu. Quapropter lacum Nessi prætergressus, per tractum Glassæ, Harragæque, ad Spææ ripam provectus est.

Statuerat Gubernator in Huntilæum tanquam in publicum hostem animadvertere, nisi resipisceret; verùm mitiora omnia priùs experiri, si quâ ratione ad sanio-

ſaniorem mentem reduci poſſet. Quem in finem, aſſumptâ ad cuſtodiam corporis, unicâ duntaxat equitum turmâ; quàm celerrimè confectis viginti milliaribus, ad Bogiam ejus arcem contendit. Et in itinere præmiſit, qui eum de ſuo admoneret adventu; certioremque faceret, non alia de cauſa illuc ſine copiis advolare quàm ut plurimam illi impertiret ſalutem: & de ſumma eorum quæ ad rem Regiam facerent, cum eo conſilia communicaret; quod eò deſideraret vehementiùs, quia recentes Oxoniâ literas à Rege accepiſſet, quas illi erat explicaturus. At verò Huntilæus primo adventantis Montisroſani nuncio perculſus, uſque adeo tanti hominis præſentiam perhorruit, ut dicto citiùs, cum unico comite equum conſcenderit, & aufugerit quà ſeſe offerret via: nec hoſpitio quidem, aut colloquio, vicarium Regis Gubernatorem dignatus. Quod, ubi reſciviſſet Montisroſanus eadem viginti milliaria remenſus, eodem die vi. Kal. Iunii ad ſuos eſt reverſus: inque hoc magis, magiſque incubuit, ne tam pertinax Huntilæi contumacia innoteſceret, aliiſque noceret exemplo. Sed fruſtra hæc fuêre, Gordonii enim ipſi, aliique ejus amici, viri plerique probi, & omnino generoſi, cum in-

indignatione, & diris in ejus caput, omnia propalarunt: quò sic indigni flagitii infamiam à seipsis amolirentur.

Nec dictu sanè facile est, quantum ejus viri exemplum septentrionalis alios concusserit. Seafordius Comes, ægerrimè, & serò ad partes pertractus, vacillare putabatur: nec desunt qui dicant, illum nondum satis confirmatum, consilia etiam tunc clam agitasse, de ineunda cum fœderatis amicitia; quod tamen equidem non crediderim. Ipse etiam Alexander Makdonaldus, nescio quid causatus, quamvis multùm seriòque invitatus; de die in diem, nihil quàm ingratas nectebat moras. Quæ quidem res, & dubiam de eo ancipitemque evulgavit famam: utpotè illum, quamvis infensissimum Argathelii hostem; Hamiltoniorum tamen amicitiâ, & patrocinio fretum, Makdonaldorum res privatas impendio curasse; de publico parùm solicitum. Quæ quidem cum Montisrosanus animo volveret, sine ulteriore cunctatione statuit; cum promptissima & expeditissima manu, regiones omnes montanas, & septentrionales præsens obire, milites conscribere, obsequentes animare; renitentes verò, severitate legum, & præsentibus pœnis ad officium pertrahere: & quod valetudinariis in-

infantulis fieri ſolet, vel invitis & reluctantibus ſalutem impertire. Nec deerant idonei miniſtri, qui ad hoc ſuam deferrent operam; eumque impenſiùs hortarentur.

Dum iſta ad Innerneſſum gerebantur, Huntilæus, ne nihil unquam ſuis auſpiciis, & ſinè Montisroſano geſiſſe videretur, Aberdoniam, quam præſidio quingentorum militum Mideltonius tenebat, expugnavit quidem; ſed cum ſuorum majore, quàm hoſtium damno. Præter enim, non exiguam militum fortiſſimorum jacturam; civium bona montanis ſuis diripienda permiſit. Atqui verò, ex quâ parte, de Rege, & de ipſo Huntilæo, innocui illi Aberdonenſes malè meruerint, judicent illi, qui pleroſque omnes noverint, fidei, & obſequii in Regem nomine, inter æquales eminuiſſe. Hoſtes verò armis, belloque captos, qui & multi, & in ſuis erant melioris notæ viri; ſupplici blandientique, quàm victori ſimilior, intactos, & integros, ſinè ullius pacti lege, aut conditione dimiſit. Nec, cum plures militum tribunos, & equeſtris ordinis viros, qui fortè fortunà Aberdoniæ fuêre, in poteſtate ſua haberet; vel hoc unum curavit, ut ſuorum quemvis redimeret, quorum non pauci arctiſ-

ſimis

simis vinculis erant onerati in Scotia; vel in Anglia durissimam serviebant servitutem; semper scilicet ille hostibus, quàm amicis gratificari paratior.

CAP. XXI.

MOntisrosano, in illa intento, pridie Kal. Iunii occurrit à Domino Rege (qui, quo nescio fato, se in gremium fœderati Scotorum exercitus, ad Novum castrum conjecerat) fecialis cum mandatis; quibus imperatum erat, ut quamprimùm positis armis exercitum dimitteret: seipsum verò reciperet in Galliam, inibi ampliora ejus mandata præstolaturus. Ille verò, inopinato nuncio attonitus, tristi Regis sorti (quæ eum in insensissimorum hostium manus præcipitasset) efflictim indoluit. Mandata etiam illa de solvendo exercitu, Regi dolo, vi, & minis conjuratorum, in quorum manibus erat, extorta fuisse non dubitavit. Verùm quid consilii? si obsequium præstaret suorum bona direptionibus, cervices securibus aut restibus permitteret: sin armatus contra Regem ageret ejusque mandata, fieret perduellionis reus, quod crimen in aliis vindicandum susceperat. Adhæc vel maximè illud

illud pertimuit, ne perduelles Regi imputarent, quæ ipſe exſequeretur; duriùſque de eo ſtatuerent; quem in ſua haberent poteſtate: quod ipſæ Regis literæ non obſcurè innuebant.

Nobiles ergo, familiarum principes, & Equeſtris ordinis viros, in unum cogere decrevit Montisroſanus; ut arduum illud negotium, & quod omnium intererat, communi conſenſu tranſigeretur. Quem in finem, inſuper habitis tot injuriis, Ioannem Urræum, Iohannem Innesium Equites, eminentiſſimos in exercitu ſuo viros, eoſdemque Huntilæo, ut arbitrabatur, gratiſſimos, ad eum ablegat; qui illum ad tam ſeriam conſultationem invitarent: diei verò, locique præſtituendi Huntilæo deferrent poteſtatem: & præterea adderent, paratum eſſe Montisroſanum, ad ejus arcem ſe conferre, ſi hoc ille cuperet. Reſpondit Huntilæus, Regis literas ejuſdem argumenti ad ſe quoque perlatas eſſe; quibus omnino obtemperare ſtatuerit: mandata Regis ejus generis eſſe, ut ſecundas non admittant cogitationes, nec ſupereſſe ampliùs conſultationi locum. Regerentibus verò illis, eundem forſan eſſe Montisroſani animum, promptiſſimam quidem Regis mandatis, ſed liberis, exhibere obedientiam; in-

interim tamen omnium planè intereſſe, ut maturè incolumitati ſuæ, & ſuorum proſpiciant. Majori famâ, & authoritate apud ipſos etiam hoſtes fieret, ſi in cummune conſulerent; ille non aliud reſpondit, quàm ſe ſibi hactenùs conſuluiſſe; cum aliis nihil eſſe negotii.

Montisroſanus igitur ad Regem reſponſa dedit, quibus ſollicitè admodùm inquirebat de ejus apud conjuratos conditione; utrum tutum ſe in eorum poteſtate judicaret? atque an deinceps quoque utilis illi eſſe poſſet opera ſua? Ac ſi omnino ſtatuiſſet dimittendum eſſe exercitum, qui pro ejus ſalute militabat, armatis adhuc in utroque Regno conjuratis, & ferociùs indies inſultantibus; quo tandem pacto vitæ, boniſque fidiſſimorum, & fortiſſimorum civium proſpiceretur, qui ſanguinem, & chariſſima quæque pro eo prodegiſſent? horrendum enim fore, ſi pręſtantiſſimi viri ſęviſſimis hoſtibus non modò ſpoliandi, ſed & excarnificandi permitterentur. Ad iſta nihil aliud palàm reſponſum fuit, quàm quòd ab internuncio exhibitæ fuerint leges quædam à conjuratis ſcriptæ; quibus ſcilicet Montisroſano acquieſcendum foret. Verùm ille leges ab hoſtibus latas, eaſdemque iniquiſſimas indignabundus rejecit; nec

rem

rem cum eis omnino tranſigere dignatus, denuo internuncium remiſit ad Regem: teſtatuſque eſt ſe, non niſi ipſius Regis juſſu bellum illud ſuſcepiſſe, nec ut arma poneret, à quoquam mortalium, quàm ab ipſo Domino ſuo accepturum leges: adeoque ſupplicem rogare, ſi ita viſum ſit Regi, ut quamprimùm copias ſuas dimitteret, ne gravaretur ipſe conditiones dicere, & ſignare; quibus, ut ut durioribus forſan, obſequentiſſimum ſe fore promiſit: aliorum verò omnium, quicunque demum illi fuerint, mandata deſpicere.

Reverſùs denique internuncius, leges manu Regiâ ſignatas retulit, cum mandatis jam tertiò repetitis, quibus illi imperatum eſt, ut ſine omni cunctatione dimitteret exercitum: idemque Regis nomine interminatus eſt pœnam Majeſtatis, ſi vel tantiſper detractaret imperium. Ad Regis mandata acceſſit, quòd qui belli ſocietatem inierant, plerique clam, & ſeorſim per amicos cum conjuratis de pace agebant; quod de Seafordio Comite, & aliis, non obſcuris indiciis cognitum fuit. Huntilæus, Aboiniuſque non tantùm ſeſe profitebantur apertos Montisroſani hoſtes; ſed & minabantur inſuper ſe armis vindicaturos, niſi confeſtim Regiis obſequeretur mandatis. Antro-

tromius verò recèns ex Hibernia, in montana Scotiæ delatus, ſinè milite, ſinè armis, hoc agebat, ut montanos omnes, cognatos ſcilicet, affineſque ſuos, à caſtris Montisroſani (quem inferioris Regni præfectum ſuperciliosè nuncupabat) ad ſua revocaret; intempeſtivâ planè, ac ſuis omnibus in locis illis exitiosâ ſeceſſione. Quæ quidem omnia ritè penſitata. Montisroſanum compulerunt, ut ſecundùm Regis mandata exercitum dimitteret.

Et ſanè mœſtiſſimus fuit ille dies, quo militibus ſuis pro concione laudatis, & animatis valedixit. Ut ut enim ille, bono eos animo eſſe juſſerit, & optatiſſimæ pacis ſpem non exiguam affulgere prædicaret; nec minùs ſe optimi Regis ſaluti, præſenti obſequio, quàm præteritâ fortitudine conſulere: occurrebat tamen omnium animis, Regiæ authoritati ultimum fore illum diem; mandata enim illa, præſentioris mali metu, invito Regi quaſi extorta, omnes certò ſtatuebant. Et quamvis incolumitati ſuæ, quoquo modo ſcriptis legibus proſpectum foret: maluiſſent tamen duriſſimo fungi fato, quàm calamitoſæ chariſſimi Regis ſorti, ſegnes & viles ſupereſſe ſpectatores. Nec minimùm generoſos angebat viros, adverſa gentis ad exteros, poſteroſque fama;

fama; quasi Scoti in universum omnes fœdissimæ conspirationis participes, unà ab optimo defeciſſent Rege. Præsentem porrò luctum maximè auxit cogitatio de fortissimo, & felicissimo, ideoque charissimo Imperatore; iniquo prorsus fato, Regi, patriæ, sibi, bonisque omnibus erepto. Adeò ut ad ejus genua provoluti milites, obortis lachrimis deprecati sint; ut, quando ita Regis salus postularet, illique omnino Regno excedendum foret, se quoque in quascumque orbis terras unà traduceret. Paratos enim esse, qui sub ejus imperio, ubivis gentium viverent, militarent, & (si sic Deo immortali visum foret) sponte morerentur. Nec sanè pauci statuerunt, vel cum manifesto bonorum vitæque discrimine, invitum quamvis ac ignarum prosequi; operamque, in ignotis gentibus ultro deferre, quam ampliùs navare non possent in afflictissima patria.

Legibus, quas Rex ex sententia federatorum præscripserat, cautum imprimis fuit, ut Montisrosanus ante Kal. Sep. Scotiâ excederet: illi verò instructa navigia, cum commeatu, & armamentis necessariis suppeditarent abeunti. Agebantur verò illa ad Kal. Sextilis; destinatusque est portus Montisrosarum in Anguſia, quò

quò & eis mittenda essent navigia, & unde illis solvendum foret. Ac Montisrosanus quidem, quo omnem querelæ materiam præcaveret, suspicionesque amoliretur, familiaribus tantùm suis, & amicis planè paucis comitatus, illuc se contulit, expectavitque navigia. Hoc potissimùm tempore, infensissimi ejus hostes callidos, fictosque rumores, per idoneos ministros spargi curarunt: quibus fidenter admodum asserebatur, non permissuros Regni Ordines (uti sese nuncupabant) tam egregium civem patriâ expelli. Perneceſſarium enim fore tanti viri præsentiam, præsertim si clementissimus Rex, qui ultrò in Scotorum manus se quasi tradidisset, jus, & æquum ab Anglis non posset obtinere: adeoque bello illud, & armis repetendum foret; præstantiorem quippe ducem, nullum exhibuisse seculum. Et sanè sanctissima fuerunt illa plurimorum vota, qui in profunda conjuratorum consilia non penetrabant: sed longè illi alias artes, alios nectebant dolos. Quid enim in Regem meditati fuerint, tristis perdocuit eventus: Montisrosano verò indignas struebant insidias. Hoc enim agebant, ut ejusmodi blandimentis, & inani spe lactatum, ac ultra dictum diem in Regno commoran-

tem ; tanquam rupti fæderis reum, cum minore infamia opprimerent.

Elapſus fermè erat Sextilis, cum ne nuncius quis, nec leviſſima de navibus & commeatu perlata eſſet fama. Quapropter Montisroſanus (quamvis ad diem à Rege dictum eundi certus) quo fæderatorum animos penitiùs excuteret ; amicis ſuis permiſit, ut de proroganda navigatione cum eis agerent. Verùm cum hi incerta & dubia retuliſſent : ille nihil quàm dolos, fraudeſque eorum verbis ſubeſſe meritò judicavit. Acceſſit, (atque hoc non leviter auxit ſuſpicionem) quod noviſſimo tandem præſtituti temporis die, pridie ſcilicet Kal. Sep. navigium ad portum Montisroſanum appulerit. Navarchus, non modò ignotus, ſed & conjuratorum propugnator rudis, ac pertinax : nautæ, militeſque ejuſdem farinæ homines, infenſi, moroſi, ac minabundi; navis ipſa, nec commeatu inſtructa, nec apta ad navigationem. Adeo ut cum Montisroſanus paratum ſeſe oſtenderet, juberetque ut quamprimùm explicarent vela : navarchus reſponderit, dari oportere dies aliquot picandæ, ornandæque navi, nec priùs audere ſeſe ventis undiſque committere. Magnificè deinde de ſe, ſuaque navi loquutus, exhibuit diploma

diploma ſibi à fœderatis traditum, quo mandatum erat, ut vectores ad certos, & ab hoſtibus deſignatos portus, nec alios quoſvis deveheret. Simul Eſcæ amnis oſtio (quod Montisroſanum efficit portum) indies obverſabantur ingentes, armataeque Anglorum naves, in gratiam conjuratorum optatiſſimæ inhiantes prædæ: ne quo pacto vitaret dolos.

Verùm nec Montisroſanum latuerunt inſidiæ; nec defuêre in fœderatis ipſis amici, qui eum repetitis nunciis admonuerunt: infeſtum Anglicanâ claſſe mare, nec evadere incolumem poſſe in Galliam, aut Bataviam: obſeſſum fermè portum, unde illi eſſet ſolvendum, ideoque navigationem rem eſſe periculi plenam: nec utique aliud ab hoſtibus quæri, quàm ut vel trahentem in Patria moram fœderati Scoti; vel abeuntem, inermem, & incautum, conjurati Angli opprimerent. Cenſuêre, qui cum Montisroſano erant amici, in tam manifeſto diſcrimine, repetenda Regni montana, revocandos confeſtim ſocios, & belli aleam inſidioſæ paci utique præferendam. Verùm nè hanc iniret rationem, ardentiſſimâ præſertim Regis charitate, diſtinebatur. Certò enim conſtabat bellum denuò renovatum Regi, quamvis

immeritò imputandum fore ; eundemque in periculum quidem præſentiſſimum, & forſan extrema quæque præcipitaturum. Undique ergo preſſus, inſidiis hinc in ſuum, indè in ſacroſanctum Regis caput ſtructis ; in ſe omnia convertere, pertinaci conſtantiâ decrevit. Nec temerè tamen, quaſi de ſalute in rebus ultimis deſperaſſet ; ſed prudenti conſilio ſe ſubduxit.

Cum enim hoſtium præcepiſſet artes, pridem miſerat, qui oram maritimam, portuſque ſeptentrionem verſùs, diligenter ſcrutarentur : &, ſi quam externam navem in illis deprehenderent, cum navarcho propoſitâ agerent mercede, ut ad certum diem paratus ad navigandum, vectores, qui illi præſto forent, in Norvegiam cum bono Deo deferret. Commodùm in portu Stanhyvio repertus eſt actuarius lembus Bergenſis è Norvegia ; cum ejus præfecto ſinè magno negotio tranſactum eſt : avidè enim occaſionem, ac quæſtus ſpem arripuit. Atque iſthuc ablegavit Montisroſanus Iohannem Urreum Equitem, Iohannem Drumondum de Balla, Henricum Græmum fratrem, Iohannem Spotſwodium, magni illius Roberti ex fratre natum, Iohannem Lilium expertæ fortitudinis & peritiæ ducem,

cem, Patricium Melvinum eodem nomine virum clarum, Georgium Wiſeheartum, S. S. Theologiæ Doctorem, Davidem Gutherium juvenem generoſum & fortem, Parduſium Laſoundium Gallum, olim nobiliſſimi Gordonii Reguli aſſeclam, poſtea in gratam defuncti heri memoriam à Montisroſano in famulitium ſuum, adſumptum, Rudolphum natione Germanum, probum, fidumque adoleſcentem, cum paucis inſuper ſervulis. Et hos quidem ſelegit, quos ſecum duceret, inquaſcumque demum deſcenderet terras; eâ præſertim de causâ, quòd illorum pleriſque infenſiores noſſet fæderatos, quàm ut vel tantillam in patria moram trahere poſſent incolumes. Et illi quidem, III. Non. Sept. adſpirantibus ventis curſum in Norvegiam auſpicati ſunt. Eadem verò veſperâ, Montisroſanus ipſe, uno Iacobo Silvio, Euangelii predicatore meritiſſimo comitatus, lembum, extra portum Montisroſarum anchoris alligatum, exiguâ vectus celoce, conſcendit: vilique amictus veſte patronus, pro clientis Silvii famulo fefellit. Anno Dom. 1646. ætatis verò ſuæ 34.

FINIS.